# DE L. COELIO ANTIPATRO BELLI PUNICI SECUNDI SCRIPTORE ...

Otto Meltzer

# DE

# L. COELIO ANTIPATRO

# BELLI PUNICI SECUNDI SCRIPTORE.

**DISSERTATIO INAUGURALIS**

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB ORDINE PHILOSOPHORUM LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

**OTTO MELTZER**
LAUENSTEINIENSIS.

**LIPSIAE**
TYPIS A. DENNHARDTI.
MDCCCLXVII.

# I.

Nomen scriptoris fuit integrum L. Coelii Antipatri.[1][2]) — Nihil dico hoc loco de antiquissimo illo Coele vel Caele Vibenna, ad quem utrum Coeliae gentis origo referenda sit necne et omnino minimi momenti est et nunquam discerni

---

[1]) De recentiorum libris, quibus in hoc libello conficiendo usus sum, perpauca mihi dicenda sunt. Eorum enim omnes qui ante annum h. s. XXI. in lucem prodierunt, nihil fere nisi pauca quaedam de scriptoris vita e notissimis locis desumpta, quibus unum alterumve veterum de eo iudicium additum sit, praebent. Uberius de eo disputandi occasionem fecit eruditionis certamen anno h. s. XX. ab ordine philosophorum academiae Lugduno-Batavae propositum, ex quo superiores evaserunt Bavius Antonius Nauta et Guilielmus Groen van Prinsterer, quorum commentationes leguntur in annalibus acad. Lugd.-Bat. a. 1820—21. Ab his quasi fundamentis omnes, qui postea de Coelio egerunt, profecti sunt; qui suo quisque loco nominabuntur.

[2]) Sic bis aperte nominatur apud Cic. Brut. 26. or. 69; plerumque tamen simpliciter Coelius, ita ut e proximis verbis aut sententiis, utrum hic an alius intellegendus sit, colligere debeamus. „Coelius Antipater" appellatur ap. Plin. h. n. II, 67, 169. Non. II, pg. 108. Digest. I, tit. I. § 40; „Antipater" ap. Cic. de or. II, 12. de leg. I, 2. „L[ucius] Coelius" ap. Liv. XXVII, 27. Front. ep. ad M. Caes. IV, 3, pg. 95 Mai. Prisc. VIII, 4, 19. — Iam notum est in Coelii nomine scribendo inter oe et ae diphthongos ambigi, itaque — ut eorum qui duas, Coeliorum et Caeliorum, gentes inter se diversas statuunt sententiam nunc omittam — cur oe scribam explicandum certe erit. Et librorum quidem mss. auctoritatem — qua modo haec, modo illa forma, modo, id quod saepissime fit, „Celius" comprobatur, qua in re vel eidem librarii minime sibi constiterunt — nullo modo nos sequi posse, satis perspexi; ab altera autem parte etymologia quoque, quam fortasse quis in auxilium vocaverit, plane incerta est. Igitur eam formam mihi assumendam esse putavi, quae optimis linguae Latinae temporibus usitata esset; cumque in inscriptionibus, quae ad nostra tempora manserunt, antiquioribus — praeter unam, ubi legitur „Kailius (v. Corp. inscr. Lat. ed Th. Mommsen. tom. I. n. 844) — scriptum inveniatur „Coilius" (l. l. 270. 382. 1559), deinde autem ab exeunte fere saeculo a. u. c. septimo per totam Ciceronis aetatem — nisi quod rursus una tantum (l. l. 845) „Caelius" praebet — „Coelius" (l. l. 479. 571. 641. 858. 1125.): ipsorum certe Romanorum, si quidem et ipse sic scribo, auctoritate spero me aliqua ex parte defensum iri.

poterit; satis est scire, inde ab exeunte VI. demum a. u. c. saeculo eam nominari, et quidem duas, Caldorum et Ruforum, familias, utramque plebeiam. Antipatri autem cognomen praeter hunc Coelius nemo habuit.

Tempus, quo vixerit L. Coelius Antipater, certis quidem annorum finibus non iam potest circumscribi, sed facile de eo ex veterum scriptorum locis quae plane sufficiant colliguntur. Et primum quidem luculentissima quaedam testimonia leguntur apud Cic. de div. I, 26. et Valer. Max. I, 7. quorum, narrato somnio quod C. Graccho anno a. u. c. fere 627. vel antea visum esset, alter: „hoc, inquit, antequam trib. pl. C. Gracchus factus esset, et se audisse scribit Coelius et dixisse multis“, alter: „Coelius etiam certus Romanae historiae auctor sermonem de ea re ad suas aures illo adhuc vivo pervenisse scribit“. Porro idem Cicero de leg. I, 2. postquam Catonem, Pisonem [1]) — qui consul fuit a. 621. censor 634. ergo natus, si ad legem Villiam tempora computamus, certe a. 578. —, Fannium — quaest. a. 615. praet. 617. natum igitur ad summum a. 577. —, Vennonium nominavit, Coelii mentionem his verbis inducit: „Fannii autem aetate coniunctus Antipater paullo inflavit vehementius et q. s.“ eique successisse dicit Clodium Licinium, P. Sempronium Asellionem, [2]) natum, ut videtur, non ita multo post a. 590 (cf. Krause, vit. et fr. v. h. R. pg. 216). Eodem modo Cic. de or. II, 12. post Catonem, Fabium Pictorem, Pisonem enumerat Coelium eumque dicit fuisse L. Licinii Crassi (qui quidem natus est a. 614 mortuus 663. cos. 659) familiarem. Jam vero in Bruto, inde a. c. 21,

---

[1]) Non ita magni momenti est, quod Krause, vit. et fragm. vet. hist. Rom. pg. 183, urget, quod in Bruto, c. 27, post Fannium demum et Coelium Piso a Cicerone commemoratur. Is enim, quamvis illis utique maior natu fuisse videatur, tamen non tanta aetatis differentia inter eos intercessit, ut non post illos ac tum demum, ubi quaestionum perpetuarum vel, id quod maximum est, Ti. Gracchi C. que Carbonis, quibuscum Pisonis historia artissime cohaereret, commemoratio idoneam eius rei occasionem sibi offerret, sine reprehensionis metu Cicero eum recensere posset.

[2]) Quae quidem verba cum codd. optimi fere omnes sic scripta praeberent: „ecce autem successere huic bello Clodius, Asellio, nihil ad Coelium, sed potius ad antiquorum languorem atque inscitiam“, in reliquis „belli“ legeretur, Guilielmus „Gellii“, Passeratius „Gellius“ scribendum esse censuerunt eosque posteriores editores omnes secuti sunt. Quas quidem mutationes prorsus reiciendas esse aperte docuit Nipperdey, Philol. t. VI. pg. 133., cui in omnibus plane assentior, nisi quod „bello“ vocabulum, utpote quod optime ad rem quadret, utique retinendum mihi videtur.

hunc fere oratorum aliorumque litteratorum hominum, qui illis temporibus floruerunt, ordinem Cicero proposuit; quem si totum hoc loco reddo praeter accuratiorem temporis, quo Coelius vixerit, cognitionem vel ideo haud inutile me facturum puto, quod sic simul, qui omnino tum litterarum laudibus celebres fuerint, optime perspicitur. Post P. igitur Cornelium Scipionem Aemilianum C. que Laelium Sapientem uberius Cicero exposuit de Ser. Sulpicio Galba, qui praetor fuit a. 603. cos. 610. natus igitur a. circiter 563. Post hunc nominat L. Mummium, cos. 608. nat. igitur circa a. 565., eiusque fratrem Sp. Mummium; deinde Sp. Postumium Albinum, cos. a. 606; L. — cos. a. 628 — et C. Aurelios Orestas; P. Popilium Laenatem, cos. a. 622; C. Sempronium Tuditanum, cos. a. 625; M. Octavium; M. Aemilium Lepidum Porcinam, cos. a. 617; Q. Pompeium, cos. a. 613; L. Cassium, qui a. 617. legem tabellariam tulit; M. Antonium Brisonem, trib. pl. a. 617; Cn. — cos. 613. — et Q. — cos. 614 — Servilios Caepiones; P. Licinium Crassum Mucianum, cos. 633; C. Fannium C. F. Strabonem, praet. 627. cos. 632; C. Fannium M. F. Strabonem annalium scriptorem, quem supra iam commemoravimus, simulque, occasione sibi oblata, Q. Mucium Scaevolam augurem, cos. a. 637., C. Laelii generum, C. Fannio M. F. aliquot annis minorem. Post hos igitur, c. 26. extr., L. Coelium Antipatrum nominat iudiciumque suum de eo profert et simul L. Licinii Crassi magistrum eum fuisse dicit. Tum enumerantur Ti. Sempronius Gracchus, natus a. circiter 590. mortuus 621. C. Papirius Carbo, natus eodem fere tempore, praet. 630, etiam antea tanquam Aem. Lepidi Porcinae discipuli breviter commemorati; tum post aliorum qui minoris momenti sunt satis magnam catervam C. Scribonius Curio, praet. a. 632; M. Aemilius Scaurus, nat. a. 591. praet. 634. cos. 639. cens. 645. cos. II 647; P. Rutilius Rufus, nat. circa a. 600. praet. 643. cos. 649; C. Gracchus, Tiberio fratre novem annis minor, in quo iam finem enumerandi faciamus. — Coelium igitur cum vv. dd. omnes, quorum libros inspicere potui, natum esse scriberent aut omnino exeunte saeculo VI. aut diserte inter annos 590. et 600,[1]) considerantes, ut opinor, maxime quo loco a Cicerone in ea, quam ipse statim antea reddidi, virorum litteratorum serie

[1]) Temere nec qua in reliquis uti solitus sit cautione Léon de Closset (essay sur l'historiographie des Romains jusqu'au siècle d'Auguste, v. „annales des universités de Belgique, années 1847/48. pag. 475) haec dicit: Né à la fin du VI e. siècle de Rome, il parvint à la questure vers l'an 617, et q. s.

enumeraretur: non ita accurate mihi videntur egisse. Multo maioris enim in hac re momenti sunt loci illi quos supra attuli e ll. de leg. et de or., in quibus mere chronologicam, quam vocare mihi liceat, rationem valere ultro apparet, id quod in Bruti locum, certe sic simpliciter, non cadit. Itaque Coelius, quantum ego video, si post Fannium et ante Clodium Licinium Semproniumque Asellionem nominatur, maxime autem si Fannii aetate coniunctus dicitur, natus potius esse debuit circa a. a. u. c. 580. Cui quidem sententiae neque praeterea quidquam obstat, et facile etiam explicatur, cur a Cicerone in Bruto eo, quo vidimus, loco nominatus sit. Scilicet qui re vera eius aequales essent, tanquam oratores multo prius in foro excellebant laudesque etiamtum adolescentes sibi parabant; Coelius vero, qui causas orator non ageret, sed cuius gloria opere tantummodo de historia belli Punici secundi scripto, quod tamen vel ultro fieri debebat ut non adeo adolescens — id quod omnino in rerum gestarum scriptoribus factum esse scimus — ederet et post C. Gracchi mortem demum editum est, niteretur: vel iure sic inter eos, qui natu quidem minores essent, sed, quamvis minores, eodem tempore florerent, enumeratur. Et hoc quidem Pomponius quoque (digest. I. tit. II de orig. iuris, § 40) sibi voluisse videtur, cum haec diceret: „Ab his (scil. P. Mucio, Bruto, Manilio, qui fundaverunt ius civile) profecti sunt P. Rutilius Rufus, qui Romae consul et Asiae proconsul fuit, Paulus Virginius et Q. Tubero ille stoicus, Panaetii auditor, qui et ipse consul.[1]) Etiam Sex. Pompeius fuit eodem tempore et Coelius Antipater, qui historias conscripsit, sed plus eloquentiae quam scientiae iuris operam dedit; etiam L. Crassus, et q. s.;“ quo sine dubio etiam accedit, quod illos tanquam in iurisprudentia potiores anteposuit, Coelium, quem minus in ea valuisse statueret, aut ob hanc ipsam causam post illos, aut, quod L. Crassi magister fuisset, cum hoc quasi artissime coniunctum nominavit. Praeter hos, quos attuli, etiam ap. Vell. Pat. II, 9. de Coelii aetate locus quidam exstat, quo tamen, cum Sisenna tantummodo Coelius vetustior fuisse dicatur, nihil novi ad ea, quae iam in antecedentibus statuimus, additur.

E Ciceronis et Valerii Maximi locis supra allatis satis apparet, Coelii opus, ut iam diximus, post C. Gracchi mortem, i. e. post a. 633, demum editum esse. Quod tamen

[1]) In hoc erravit Pomponius. cf. Cic. Brut. 31, 177. Perizon. animadv. hist. c. II. Groen v. Pr. pg. 7.

non ita multo post factum esse potest, cum C. Laelio Sapienti inscriptum fuerit (de qua re v. quae infra proponam), qui quanquam Scipioni, qui obiit a. 625, superstes fuit, tamen, si vitae spatium illud, quod quasi omnibus commune habere solemus, non superavit, circa a. 640. — natus enim fuisse videtur a. circiter 567. aut 568. — mortuus est. Quod etiam confirmari videtur ratione ea, qua apud Cic. de or. II, 12. 13., quem quidem dialogum ipse Cicero a. 663. habitum esse fingit, de Coelii opere agitur.

Quo anno Coelius mortuus sit nescimus. Consentaneum tamen est, eum medio circiter saeculo VII. decessisse; id quod praeterea etiam ex eodem Ciceronis loco aliquo modo colligi potest.

Iam vero quicunque scriptoris nomen considerarit, statuere vix dubitaverit, Graecum hominem eum fuisse, hominis ex Coelia gente cuiusdam libertum. Verum tamen id statuendum esse, quamvis proprie de ipsa re nihil certi traditum sit, viri docti, qui de Coelio egerunt, ad unum omnes strenue negarunt, et ego quoque negandum censeo. Namque et diserte Sueton. de gramm. et rhet. 27 (pg. 124 Reifferscheid.): „Deinde, inquit, rhetoricam professus Cn. Pompeium Magnum docuit (sc. L. Voltacilius Plotus vel, ut antea fere appellabatur, C. Otacilius Pilutus) patrisque eius res gestas nec minus ipsius compluribus libris exposuit, primus omnium libertinorum, ut Cornelius Nepos ait“ — (de cuius in hac re iudicio prorsus non est quod dubitari possit) — „scribere historiam orsus, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam ad id tempus;“ — et si historiae et iurisprudentiae — nam hanc quoque Coelius Cicerone Pomponioque testibus amplexus est — originem et progressum et qui tum fuerit statum animo reputaris, vel ultro quod dixi apparebit. Sive igitur libertini fortasse cuiusdam filius, quod Lachmann de font. Livii comm. II. pg. 19, aut omnino, id quod cautius proposuit Krause l. l. pg. 183, ex libertino ordine oriundus sive, id quod mihi quidem veri similius videtur esse,[1] ex ipsa Coelia gente fuit, ita ut proprie Caldi vel Rufi vel

[1]) Quamvis enim ipsa cognominis ratio Lachmanno l. l. libertinum prodere videatur, utpote quae „eadem sit ut in Livio Andronico, diversa autem aliorum Graecae originis cognominum, ut Philonum, Sophi, Eutrapeli,“ tamen hoc argumentum nihil aut certe non multum valere, quicunque quae leguntur apud Plin. h. n. VII, 12, 54. coll. XXI, 3, 10. inspexerit et quot praeterea similes causae cogitari possint animo reputaverit, facile intelleget. Contra, id quod ego maxime urgendum esse puto, iuris scientia Romanum prodit.

aliud quoddam cognomen haberet, quod tamen postea ob Antipatri agnomen — quod qua de causa ei impositum sit nos iam perspicere non possumus — in oblivionem prorsus abiret: sine dubio civis Romanus fuit et honesta quadam vitae condicione usus est. Et sic etiam a scriptoribus omnibus, maxime a Cicerone, ut iam vidimus, inter summos viros nominatur.

Ad rempublicam eum non accessisse pro certo affirmare ausim, cum nec in fastis magistratuum eius nomen inveniatur nec ullo loco apud veteres scriptores, id quod utique ex spectandum erat, eius rei mentio fiat; nec quisquam, opinor, ut etiam recte monuit Krause l. l., hunc eundem esse putaverit ac L. Coelium illum, qui a. 585. legatus Illyrico praeerat (Liv. XLIII, 21); quae quidem sententia vel sola temporum computatione refellitur.

Ius profitentem, ut multi alii, etiam L. Licinius Crassus, qui adolescens eam scientiam admodum vehementer amplexus et P. quoque Mucii Scaevolae institutione diligentissime usus est (Cic. de or. I, 55) audivit,[1]) posteaque etiam in familiarium numero habuit.

Denique Graecis litteris Coelium doctum fuisse, etiamsi non aperte confirmaretur eo, quod ex Sileni opere tanquam fonte hausisse dicitur (Cic. de div. I, 24), vel sine certis testimoniis statuere nobis liceret. Has enim didicisse illis certe temporibus et omnino homini erudito cuique et maxime ei qui Laelii consuetudine uteretur, per se necessarium erat.

## II.

Jurisconsultum fuisse L. Coelium Antipatrum in antecedentibus iam vidimus. Eius tamen studii cum nec monumenta ulla exstent nec ipse omnino de iure civili commentarios scripsisse dicatur aut videatur: veterum quae de ea re habemus iudicia nobis sequenda erunt. Quae quidem si obiter inspexeris, haud paulum inter se differe existimabis; Cicero enim cum iuris eum dicat fuisse valde peritum (Brut 26),

---

[1]) Minime autem locus ille, qui est de or. I, 55., quo studii iuridici et hortator et magister Crasso domi fuisse dicitur, ad Coelium referendus est; non sane quo tale munus eius personae parum conveniat, quod proposuit Groen van Pr. pg. 9, sed quia, quae illo loco de eius studii ratione proferuntur, cum eis, quae de Coelii in iuris scientia tractanda ratione, Pomponium aliumque Ciceronis locum secutus, statuenda esse putavi et statim exponam, coniungi plane non possunt. Imo ille qui significatur homo videtur fuisse C. Aculeo; cf. de or. I, 43, 191. II, 1, 2.

Pomponius (dig. I, t. II. § 40.): „sed plus, inquit, eloquentiae quam iuris scientiae operam dedit." Sed commode inter se coniungi possunt, si quidem, qui fuerint illi, qui sic de Coelio iudicarent, recte consideraris. Et Pomponius quidem tanquam merus iurisconsultus, ut ita dicam, fert sententiam neque adeo acerbam, cum tamen inter summos eius ordinis viros Coelium enumerarit, et sic explicandam, ut eum non ipsum quidem dicat aut accusatorem aut defensorem causas egisse — (quod si factum esset, Cicero eum nominasset inter oratores, nec tantummodo tanquam scriptorem laudasset) — sed ita ut, quamvis ceteris illis iuris aliquanto minus peritus esset, eum auditores suos non magis ad ipsam rem, i. e. ad meram iurisprudentiam, instituisse intellegamus, quam ad id, quod ceteri fere non facerent, ut artem illam etiam oratione — ut Ciceronis, de or. I, 55., verbis utar — exaggerarent. Alterum autem, Ciceronis, iudicium est hominis, qui in merorum iurisconsultorum numero non habendus sit, sed orator oratoriam maxime artem respexerit; itaque non diversum quiddam, imo plane idem Ciceronis laude, quod Pomponii, si quidem sic eam vocari licet, vituperatione videtur significari. Hac ipsa autem, qua ius tractaret, ratione Coelius haud paulum non modo ad eius disciplinae, sed omnino ad Latinarum litterarum progressum videtur valuisse maximeque in instituendo L. Crasso eam habuisse vim, ut is „eloquentium fieret iurisperitissimus." Vix enim dubitari posse existimo, quin summa eorum quae leguntur apud Cic. de or. I, 55, ad Coelium referenda sit; quo quidem loco Crassus, cum P. Mucii Scaevolae, cui primum se dedisset, artem indotatam atque incomptam esse vidisset, iam tum — Coelii sine dubio auctoritate atque exemplo commotus — id potissimum appetivisse dicitur, ut verborum dote eam locupletaret atque ornaret et oratione exaggeraret, ita ut de M. Antonii sententia vel nimium quiddam huic tribueret. — Sed iam cum eius studii nec monumenta nec testimonia plura habeamus, in his acquiescendum proficiscendumque nobis erit ad id, quo summas quasdam laudes Coelius sibi paraverit, historiam.

Nitebatur autem haec Coelii laus opere [1]) in septem, ut videtur, libros distributo, [2]) quod scripsit de historia belli Pu-

[1]) Quamvis enim eius modo „historiae" modo „annales" laudentur, id unum opus fuisse, qui litterarum Latinarum historiam novit, ultro videt, et vel eo significatur, quod saepe simpliciter citatur „Coelius", vel „Coelius in I", similia.

[2]) Tot saltem a veteribus scriptoribus laudantur, ex quo, ut saepissime in eiusmodi scriptis accidit, etiam huius omnino plures non

nici secundi; hanc enim sententiam ego quoque amplector. Namque non solum Cicero verbis, quae sunt or. c. 69., his: „.. ne aut verba traiciamus aperte, quo melius aut cadat aut volvatur oratio, quod se L. Coelius Antipater in prooemio belli Punici nisi necessario facturum negat etc.“ sic eius opus affert ut quasi titulum exhibere videatur et Livius in huius tantum belli narratione Coelium tanquam fontem suum nominat, sed etiam omnia quae quidem integram sententiam praebeant fragmenta eodem aut aperte referenda sunt aut quominus referantur prorsus nihil impedit. Ipsa autem materiae distributio, quoad hanc etiamnunc perspicere possumus, nos docet, neque a prioribus eo bello temporibus opus incepisse — nisi quod eius causae in superiore tempore rerumque statu positae, exponebantur, id quod per se necessarium erat — neque altius descendisse; siquidem primo libro mentionem factam esse videmus Hamilcaris Barcae, Saguntinorum, Ti. Sempronii Longi consulis Lilybaei versantis expeditionemque in Africam molientis, secundo Cannensis pugnae, sexto Scipionis exercitum in Africam exponentis, septimo proelii quo Syphax rex captus sit a Romanis, aliarumque rerum, de quibus etiam infra nobis erit disputandum.

Sed iam aliquot huic sententiae obstare videntur loci, qui etiam Krausium [1]) eo adduxerunt, ut ab initio belli Punici primi usque ad Gracchorum, i. e. suam, aetatem Coelium historiam deduxisse putaret. Quorum tamen tres tantummodo ei esse possunt existimari, quibus mea argumenta confutentur; in reliquos enim quos ille attulit hoc minime cadit. Nam

---

fuisse magna cum probabilitate colligitur. Accedit quod ex „incertis“ quae fere dicuntur fragmentis multa ad suum librum aut certe locum referri possunt, itaque non ita multa vere incerta sunt, neque ea, ut etiam plures libros quis statuere possit fuisse.

[1]) Ante Krausium iam Lachmannus l. l. comm. II. pg. 20. hanc sententiam paucis proposuit et vel Nautae pg. 12. simile quiddam in mentem venit, cum scriberet: „Itaque principium historiae Coelianae in bello Punico secundo collocandum est, cuius belli narratione, quantum e fragmentis colligere licet, septem libros priores implevit, eisque praemisit prooemium et vero singularem titulum „bellum Punicum;“ — sed ipse statim hanc opinionem reiecit. Optime autem his adversatur Groen van Pr. pg. 13. verbis his: „Prooemium illud, inquit, non operis parti fuisse praepositum, sed belli Punici historia totum Coelii opus contineri ex eodem loco (Cic. or. 69) patet, si quidem illa de qua agitur excusatio huius illiusve libri particulae propria esse non possit, sed in toto scriptionis cursu aeque valere debuerit.“ — Quod autem ipse ex Livio argumentum attuli, quamvis plerumque eiusmodi e silentio quae fere dicuntur argumentis non multum aut nihil probetur, hoc loco haud parvi momenti esse, quicunque, quanti Livius Coelium fecerit, satis perspexit — (de qua re in fine libelli agemus) — facile concedet.

primum quem proposuit e Charis. I. pg. 112. Putsch., is corruptus est Coeliique nomen audacissima demum coniectura in eum illatum; deinde quod verba, quae leguntur ap. Gell. X, 1., haec: „. . tertio et quarto consul, non tertium quartumque, idque in principio libri Coelium scripsisse“, ad initium belli Punici secundi pertinere non posse, sed ad primum et quidem ad a. 489., quo consules essent Q. Fabius Maximus Gurges III. Q. Manilius Vitulus, referenda sibi videri dicit: et ipse hic locus corruptus est — (de quo relego ad ea quae proposuerunt Nauta pg. 19. Groen v. Pr. pg. 38., et ipse infra proferam) — et prorsus eodem modo ad nonnullos belli Punici secundi annos potest referri; tertius quem fortasse quis mihi obiecerit, qui legitur ap. Plin. h. n. VIII. 5, 11. manifesto Graeci cuiusdam, non L. Coelii Antipatri est.[1]) Jam vero a Cicerone de div. I, 26. Coelii tanquam fontis nomine addito narratur somnium, quod homini cuidam Romano visum esset bello Latino, gesto a. 263 (cf. Liv. II, 36. Valer. Max. I, 7. Plut. Coriol. 24); idemque l. l. aeque ac Valer. Max. I, 7. refert somnium C. Gracchi, quod Coelius hoc etiamtum vivo se audisse scripsisset; denique ap. Plin. h. n. II, 67, 169. similiter Coelius scripsisse dicitur „vidisse se qui commercii gratia ex Hispania in Aethiopiam navigasset.“ — Hi tamen loci cum ab altera parte tantam iam viderimus esse sententiae nostrae verisimilitudinem, quin nihil nisi digressiones sint, vix quisquam, opinor, dubitaverit; eaeque — cum omnino hoc genus ab ea quae illis temporibus fuit litterarum et maxime historiae scribendae ratione per se minime alienum esset et ipse, ne audacius hoc proposuisse dicar, tanquam luculentissimum eius rei exemplum proferre possim quae de Sisenna leguntur ap. Cic. de div. I, 44, 99. II, 25, 54. — quae causae occasionesque fuerint, quibus narrationi adiungerentur, nos etiam, nisi fallor, perspicere possumus. Videtur enim Coelius ad somnia, prodigia similiaque narranda propensus quodammodo in eaque re diligentissimus fuisse, non solum quod talia apud scriptores eos, quos sequeretur, inveniret — id quod in Sileno factum esse affirmat Cic. de div. I, 24 — sed etiam sine dubio quod, ut ita dicam, penitus Romanus esset, qui quamvis in reliquis sane quacunque ratione impii improbique essent, in his tamen semper religiosissimi multum illa ad rerum eventum ac reipubli-

[1]) Item quartum quendam locum, qui est ap. Fest. pg. 158 Müll. ubi Nipperdey sub tradito Alfii nomine Coelium latere suspicatus est cur ad hunc non pertinere putem, infra exponam.

cae salutem valere putarent et accurate eorum in scribenda populi Romani historia rationem sibi reddendam esse crederent; ita ut facillime sane fieri posset, ut occasione sibi oblata, ubi somnium, quod bello Punico secundo alicui visum esset, (velut Hannibali in Italiam proficiscenti. cf. Cic. l. l.) tandem evasisse narraret, illa quae supra posui tanquam luculentissima eius rei exempla adderet aut omnino, ut postea in contrariam partem Sisenna, de fide somniis habenda disputaret. Eius autem rei, quam tertio loco supra enumeravi, commemorandae satis idonea occasio fuit aut in narrando bello Hispanico, ubi sane de totius regionis urbiumque situ ac condicione, itaque de commercio quoque, exponenda quaedam erant, aut, id quod etiam magis mihi placet, in Africa describenda, ubi facillime quaestionem illam per totam antiquitatem varie tentatam, utrum Africa ab omni parte oceano cingeretur navibusque circumvehi posset necne, attingere potuit.

Temporum bello Punico I. superiorum historiam Coelium scripsisse ne Krausius quidem contendit; et iure ille quidem, cum nec Plutarchus nec, id quod utique fieri debebat, Dionysius Halicarnassensis ullo loco tanquam antiquitatis Romanae scriptorem eum nominaverint et fragmentorum ad eam spectantium numerus minor sit, quam ex quo tale quidquam cum aliqua veritatis specie colligi possit. Iam vero ab altera parte ille modum excessit, cum ne dicam dubitaret, sed tamen in medio relinqueret, num omnino ea fragmenta Coelio adscribenda essent. Quamvis enim eorum tria, quae leguntur apud Solinum et Strabonem atque antea a quibusdam Coelii esse dicebantur, cum etiam aliae causae accedant, manifesto ab eo abiudicanda esse ego quoque censeam, reliqua tamen, quae sunt ap. Serv. ad Georg. II, 197. ad Aen. X. 405. pro genuinis certo habenda sunt et aeque atque ea, de quibus supra diximus, facile sic explicantur, ut omnia bene procedant. Quis enim, ubi primum Coelius Capuae mentionem faceret, cum nonnulla de eius urbis origine exponere potuisse non modo non negaverit, sed etiam, si id eum neglexisse sciremus, non miratus sit; itemque in altero loco, in quo tamen ipse Krausius plane non offendit? Quod autem in eo quoque fragmento quod est ap. Serv. ad Aen. III, 402. Coelium „in antiqua tempora exspatiatum esse" suspicatus est, id iniuria factum ultro apparet. [1])

---

[1]) Ibi enim Coelius simpliciter dixit Peteliam urbem alto muro fuisse impositam, quod quomodo ad antiquitatem spectare dici potuerit nec ego video nec quisquam, opinor, videbit.

Coeliani operis quae inscriptio fuerit, nunc etiam certo cognosci posse non credo; itaque probabilia tantummodo componere sufficiat. „Annalium" et „historiarum" vocabula[1]) satis constat posterioribus antiquitatis temporibus plane eadem significatione usurpata ideoque saepissime inter se esse commutata; quin ipsis Ciceronis temporibus ea confusio iam invenitur. At tamen ab initio aliquid inter utrumque interfuerit utique oportet, et hoc quidem de mea sententia interfuit, ut annales vocarentur opera ea, quibus simpliciter res gestae observato cuiusque anni ordine deinceps componerentur, historiarum vocabulum pertineret ad rerum explicationem vel demonstrationem, qua earum nexus et causae et quo quaeque consilio quaque ratione gesta essent, exponerentur (cf. maxime Gell. V, 18). Quorum quidem alterum cum maxime apud vetustissimos illos historicos, qui ab antiquissimis ad sua tempora historiam deducere solerent, factum inveniretur, alterum apud recentiores potius, qui fere res suo tempore gestas describerent: hoc quoque inter ea vocabula discrimen statuerunt, — quam quidem sententiam Verrius Flaccus ap. Gell. l. l. rettulit — ut annales dicere vellent rerum ante scriptoris tempora gestarum descriptionem, historias earum quas ipse vidisset; itemque „primum annales fuisse, post historias factas esse" (Mar. Victorin. ad Cic. rhet. de inv. l. I.) affirmarent. — Iam Coelii opus ab omni parte ad hoc „historiarum", quod dixerim, genus referendum esse et ipsa qua res gestas narraret ratione — de qua quidem infra uberius nobis exponendum erit —, et argumenti quod tractandum sibi elegit natura — (nam licet aliquanto post bellum Punicum secundum demum viveret, id ab eius temporibus non adeo remotum fuit, et ipse in hoc maxime a superioribus distinguendus est, quod primus omnium certum quoddam temporis spatium, angustioribus finibus inclusum desripserit[2]) — satis aperte confirmatur. Pomponius igitur cum verbis his, quae iam supra laudavimus: „Coelius Antipater qui historias conscripsit", ipsum operis titulum indicare voluisse videatur,[3]) et Gellius, Festus, Charisius, Ser-

[1]) Egregie praeter ceteros de hoc loco egerunt Niebuhr, rhein. Mus. 2. Jahrg. pg. 284 sqq. Krause l. l. pg. 12 sqq. Ulrici, Charakteristik der antiken Historiographie, pg. 352 sqq.

[2]) Cf. Niebuhr, Vortr. über röm. Gesch. II, pg. 306.

[3]) Scilicet ea mihi videtur esse loci sententia, ut non tam intellegamus: „Coelius, quem ob iuris scientiam hoc loco enumero, etiam historicus fuit", quam: „hic est Coelius ille iurisconsultus, qui idem notissimas illas „historias" conscripsit".

vius, Priscianus, ubi non simpliciter laudarint Coelium in I. vel C. lib. I. similia, semper historiarum vocabulo usi sint: re vera hoc operi inscriptum fuisse veri est simillimum; cui ex Cic. or. c. 69. addi fortasse possunt verba „belli Punici“ vel „belli P. secundi.“ — Iam vero Nonius Coelii semper „annales“, non „historias“ laudavit; itaque, quamvis mirum sit, tamen bonis eius fontibus fisus hoc quoque vocabulum eis, quae in antecedentibus invenimus, addendum esse equidem censeo, donec certis argumentis quis demonstraverit, Nonium, scriptorem sane per se parum eruditum ac diligentem, ob ipsam illam tantummodo, quam supra commemoravimus, earum vocum inter se commutationem — praesertim cum nihilo secius Coelius in eorum historicorum numero esset, qui postea quasi solemni quadam locutione „annalium scriptores“ appellarentur[1]) — per errorem tantum de eius opere hoc vocabulum usurpasse.

Denique e Ciceronis loco aliquoties laudato, qui legitur or. c. 69., Coelium opus suum alicui inscripsisse apparet[2]) eaque re iam supra in eius aetate definienda etiam amplius uti poteramus, nisi magnopere in ispo illius hominis nomine virorum doctorum sententiae fluctuarent. G. J. Vossius enim in libro qui est de historicis Latinis, cum legendum esse coniecerit: „qui hanc a. L. Aelio ad quem scripsit etc.“ ut intellegeretur notissimus ille L. Aelius Stilo Praeconinus, eumque secuti sint Cortius, Nauta, Krausius, alii: contra Groen van Prinsterer, Léon de Closset, alii, quod in libris mss. omnibus legitur, Laelii nomen servarunt: quod ego quoque servandum esse puto. Nam et temporis quo Coelii opus editum est ratio[3]) quominus illos audiamus vehementer obstat, et ipsa, qua Laelium usum esse scimus, vitae condicio studiorumque natura meam sententiam mirum quantum confirmat.

---

[1]) Id quod maxime e. g. cadit in locum qui est ap. Liv. XXII, 31: „Omnium prope annales Fabium dictatorem adversus Hannibalem rem gessisse tradunt. Coelius etiam eum primum a populo creatum dictatorem scribit“, ubi manifesto annalium vocabulum non tanquam communis illorum operum inscriptio, sed omnino tanquam generalis quaedam, quam vocare mihi liceat, notio ad totum illud genus significandum usurpatur. —

[2]) Operum historicorum ad aliquem missorum exempla ante Coeium nulla inveni; post haud raro hoc factum est. Sic, qui non ita multo post Coelium scripserunt, M. Aemilius Scaurus ad L. Fufidium (Cic. Brut. 29), Q. Lutatius Catulus ad A. Furium (Cic. l. l. 35) quos de vita sua libros scripsissent, miserunt; ne iam plura rei admodum usitatae exempla addam.

[3]) Coelii opus cum non ita multo post C. Gracchi mortem editum esse utique videatur, L. Aelium Stilonem probabile est natum esse a.

Quid enim cogitari potest veri similius, quam illorum maxime virorum, quorum principes essent P. Scipio C. que Laelius, qui Graecis litteris docti essent easque Romam inducere summa cum alacritate studerent, usu ac consuetudine Coelium eo adductum esse ut belli illius, quocum Scipionum Laeliorumque et maiorum et minorum gloria artissime cohaereret, historiam singulari quodam opere — id quod etiamtum factum non erat — describeret, utque altiorem artis historicae, cuius luculentissima exempla Graecia praebebat, cognitionem sibi compararet et comparatam etiam novo ac meliore quodam dicendi genere exprimeret — (ita quidem, ut etiam Ennium, ipsum quoque cum illorum maioribus similiter coniunctum, in verbis industriosius quaerendis studiose dicatur esse aemulatus. cf. Fronto ep. ad M. Caes. IV, 3, pg. 95 ed. Mai 1823) — denique ut hoc opus, cum ederet, C. Laelio summo ex illis viris etiamtum superstiti inscriberet?

## III.

## Fragmenta.[1])

1) Sed magnam exercitationem res flagitat, ne quid eo-

circiter 620., ita ut tum certe admodum adolescens demum esset, cui quidem Coelium tot annis maiorem rerumque usu multo superiorem, ob litterarum studia antea sine dubio etiamtum celebrem, opus suum inscripsisse mihi persuadere nequeo. — Praeterea si C. Laelium intellegimus, fortasse etiam hoc explicatur, quod auctor eius Livianae de bello Punico secundo narrationis partis, quam ad Coelium referendam esse satis aperte demonstrasse mihi videtur C. Peter in libro cui inscribitur, „Ueber die Quellen des XXI. und XXII. Buchs des Livius, Halle 1863.", cuius cf. pg. 78., plebi eiusque ductoribus aliquantum inimicus fuisse videtur; in quam quidem qui Scipionum ceterorumque, qui eos sequerentur, animus fuerit, inter omnes constat; — et, si vera sunt quae proposui, ipse fortasse Coelius C. Gracchi maxime somnium non sic simpliciter oblata occasione per digressionem tantum, quo nihil nisi alius somnii narrationem exornaret ipsumque confirmaret, sed sponte tanquam manifestum meritae divinitus que immissae poenae exemplum proposuit. Ab altera autem parte addi fortasse possunt, quae L. Crassum, Coelii discipulum ac familiarem, qui etiam XIX. annos natus C. Papirium Carbonem accusavit, de Gracchis eorumque studiis sensisse ex Ciceronis praeter ceteros multis locis satis apparet.

[1]) In his enarrandis paucisque, si res exigere videatur, illustrandis, non imitato novissimi editoris, C. L. Rothii, (v. C. Salustii Crispi Catilina Iugurtha Historiarum reliquiae. ed. Fr. Dor. Gerlach. Accedunt historicorum veterum Romanorum reliquiae a Car. Lud. Roth collectae et dispositae. Bas 1852), rationem, utpote quae, quamvis per se placeat, in multis levissimis demum coniecturis nisa admodum debilis videatur esse, eorum ordinem omnino eum servabo, qui est apud Wassium, Cortium, Frotscherum (in fragm. collectionibus quas Sallustii editionibus suis addiderunt), Krausium (vitae et fragm. vet. hist. Rom.

rum, qui genus hoc secuti non tenuerunt, simile faciamus; ne aut verba traiciamus aperte, quo melius aut cadat aut volvatur oratio: quod se L. Coelius Antipater in prooemio belli Punici, nisi necessario, facturum negat. Cic. or. 69 init. (edd. Orelli-Klotz).

Praeterea fortasse etiam ad Coelii prooemium pertinent, quae sunt ap. Liv. XXI, 1, 1: „In parte operis mei licet mihi praefari, quod in principio summae totius professi plerique sunt rerum scriptores, bellum maxime omnium memorabile, quae unquam gesta sint, me scripturum, quod Hannibale duce Kartaginienses cum populo Romano gessere."

## Lib. I.

[2] Id etiam adscripsit — (sc. familiaris meus) — ut eadem, quid super illo mihi videretur facerem se certiorem: tertiumne consul et quartum an tertio et quarto dicendum esset, quoniam Romae doctum virum dicere audisset tertio et quarto consul, non tertium quartumque; idque in principio libri Coelium scripsisse. Gell. n. A. X, 1,3. (ed. M. Hertz).

Quod ad hunc locum attinet, plane facio cum Nauta qui, pg. 19, aeque ac Groen van Pr. pg. 38. post libri vocabulum numeri signum excidisse statuit; opus enim in complures libros divisum simpliciter „librum" appellari non posse et Q. Claudii quoque ac Varronis nominibus librorum numeros a Gellio esse additos; itaque quo vulgo quidem poni soleat loco fragmentum ego quoque posui, sed numerum certe uncis inclusi. Iam cum certum quoddam consulum par, quorum alter III. alter IV. consul esset, Coelius in animo habuisse utique videatur, hoc autem eius, cuius historiam scripsit, temporis spatio semel tantum, et quidem a. 540. quo consules essent Q. Fabius Maximus Verrucosus IV. M. Claudius Marcellus III., acciderit: facillima quadam mutatione id, quod proprie apud Gellium scriptum esset, „in principio lib. III" — quem quidem librum, si tempora computemus, ab hoc ipso anno incepisse veri admodum simile est — in id quod nunc habemus transisse puto. — De re ipsa relegare sufficit ad Gell. l. l., unde inter utramque formam neque discrimen ullum statuendum esse et semper Romanos — sed ita, ut modo haec modo illa usitatior esset atque a viris doctis comprobaretur — fluctuasse satis apparet.

---

Berol 1833); ut primo ea proponam quae a scriptoribus veteribus ad certum quendam librum diserte referantur, deinde quibus libri numerus non additus sit, postremo ea quae num L. Coelio tribuenda sint dubitari certe posse aut prorsus ab eo abiudicanda esse existimem. Incerta, quae fere dicimus, ex quo libro desumpta esse videantur, siquidem adhuc cognosci potest, singulis addam; ubi nihil eiusmodi cognosci posse persuasum habeam tacebo; non enim in singulis singulas Batavorum et maxime Nautae coniecturas refutandas notandasque mihi esse credo, quarum quidem maximam partem infirmissimis et vel plane nullis argumentis niti, quicunque rem vel obiter inspexerit, statim intelleget. Ipse autem in enarrandis fragmentis ita agam, ut additis vv. dd., quorum editionibus maxime usus sum, nominibus lectionis varietatem et reliqua quae ad rem criticam pertinent, nisi ob certas quasdam causas ab eorum sententia mihi recedendum esse putem, omnino omittam.

3) Coelius in I: Antequam Barcha perierat, alii rei causa in Africam missus. Prisc. XIII, 3, 12 (ed. M. Hertz).

Antea non recte legebant „est missus“ et hoc exemplum quoddam putabant esse traiectionis illius verborum, de qua cf. fr. 1; — iniuria illi quidem. — Hamilcarem Barcam et in hoc et in eo quod sequitur fragmento intellegendum esse consentaneum est. Praeterea si recte Nauta, pg. 21., his verbis Hannibalem significari putavit, id sic explicemus oportet, ut Coelium, cum Hannibalem alteri, postquam puer cum patre in Hispaniam se contulisset, post Zamensem demum cladem Kartaginem redisse, alteri ab Hasdrubale tandem, anno a. Chr. 224., litteris in Hispaniam arcessitum esse tradidissent, — quae quidem narrationes ambae inveniuntur apud Liv. XXI, 1. coll. c. 21. XXX, 37. 38. XXXV, 19 .et XXI, 3. 4. — eas fortasse sic inter se coniunxisse statuamus, ut Hannibalem ab Hamilcare, antequam is moreretur, alicuius rei causa rursus in Africam esse missum diceret; Livium autem hoc neglexisse. Cf. Peter, l. l. pg. 9. — De genitivo adiectivi alius ceterorumque similium cf. Prisc. l. l. et VI, 7, 36. 16, 82. VII, 5, 20. cf. fragm. 4. 21.

4) Coelius in I: neque ipsi eos alii modi esse atque Amilcar dixit ostendere possunt aliter. Prisc. l. l.

5) Coelius in annalium libro I: legati quo missi sunt veniunt, dedicant mandata. Non. II. pg. 230 Merc. (ed. Gerlach-Roth).

Codd. „Caecilius.“ Haud raro ea nomina a librariis inter se commutata sunt, sed cum Caecilius Statius — ne Caecilium Calactinum rhetorem Graecum commemorem —, etiamsi in libris legatur „C[a]elius“, comoediae titulo vel versu apposito statim agnoscatur, contra hoc loco et aliis similibus, ubi in codd. scriptum inveniatur „C[a]ecilius historiarum“ vel „C. annalium libro . . .“ vel simile quiddam, manifesto semper de L. Coelio Antipatro cogitandum est; nec omnino quidquam ea res difficultatis habet. — Jure autem, ut mihi videtur, Nauta haec verba referenda esse putavit ad legatos illos ad Hannibalem exposcendum aut, si hoc non impetrarent, bellum indicendum a Romanis Kartaginem missos, coll. Livii, XXI, 18, verbis admodum similibus. Ad quam legationem, si rerum nexum atque implicationem et orationes a veteribus scriptoribus, et maxime quidem a Livio traditas consideremus, etiam fragm. 6. et 7. pertinere probabile est, — fortasse etiam unum alterumve ex eis, quae tum statim posui, orationum fragmentis. — Dedicare proprie, teste Paul.-Fest. pg. 70 Müll., est dicendo deferre. Unde duplex postea significatio orta est: altera — quae proxime ad illam accedat et apud prisci sermonis auctores, Accium (cf. Non. l. l.), Lucr. I, 367. III, 208. et Apuleium inveniatur, quam quidem hoc loco habemus, — „dicendi, aperiendi, explanandi“, altera, quae postea sola in usu fuit, „munera dis consecrandi.“ Ceterum cum pro hoc verbo, d littera in l mutata, „delicare“ veteres posuisse legerent apud Fest. pg. 70. 73. coll. Non. II, pg. 98. IV, pg. 277, etiam hoc loco editores nonnulli sic scribendum esse putarunt; qua mutatione nec opus esse nec ulla eam auctoritate niti facile quisque perspicit.

6) Coelius annali lib. I: cum iure sine periculo bellum geri poteratur. Non. X. pg. 508.

Verbum posse cum infinitivo passivi coniunctum, quemadmodum coepisse verbum etiam postea semper adhiberi potuit, a prisci ser-

monis scriptoribus ipsum quoque passive usurpatum est. Sic poteratur C. Gracchum dixisse testatur Fest. pg. 241, M. Aemilium Scaurum Diomed. pg. 381 Putsch.; potestur Ennium Diomed. l. l., Scipionem Africanum Fest. l. l., Pacuvium Claudiumque Quadrigarium Non. l. l. Idem paulo ante e Claudio affert potestur; nequitur inveneris ap. Sall. Jug. 11. 30. — Ceterum mire Groen v. Pr., pg. 34., „Animadvertatur etiam, inquit, quod bellum cum iure geri dicitur, quam praepositionem, nisi fallor, Cicero et plerique optimae notae scriptores omisissent."

7) Coelius in I: qui cum is ita foedus icistis. Prisc. X, 3, 17.

Antea non recte legebant: qui cum iis ita foedus icitis.

8) Coelius in I: qui intellegunt quae fiant dissentiuntur. Prisc. VIII, 6, 32.

Sic iure locum restituit Hertzius, cum antea vulgo scriberent „qui faciunt" vel „quid faciant." Praeterea hic quoque solus Krehlii Erl. 2. „Celius", reliqui „Caecilius" praebent. — Ut in aliis, sic etiam in hoc dissentiendi verbo inter activam et mediam formam fluctuasse Romanos videmus. Et in aliis quidem hoc semper factum est, in aliis altera demum forma aureae Latinarum litterarum aetatis auctoritate comprobata mansit. Sic nos semper dicimus sentire, consentire, dissentire, nunquam — quod etiamtum Sisenna in senatu dicebat, Quintil. I, 5, 13. — assentire, sed assentiri.

9) Coelius hist. I: commodum est, satis videtur. Charis. II, pg. 193 Putsch. (ed. Keil).

Haec verba Charisius in explicandis vocis satis significationibus tanquam exemplum ad eam apposuit, quam his verbis indicavit: „item satis pro aecum est." Sic enim Keilius scripsit, ad cod. Bobiens., in quo legitur „pro aecus ē", verba proxime accedens. Etiam quod Putschius edidit „pro aequo est" ferri potest, certe sententia eadem manet. Quae contra maxime perturbatur Fabricii coniectura ab omnibus horum fr. editoribus, praeter Rothium, recepta „commodum esse satis videtur." Sententia nostra manifesto etiam confirmatur Pauli verbis a Charisio statim additis: „nec enim pro sufficienti, inquit Paulus, accipi debet, sed pro pari et aequo;" quanquam aliud eius usus exemplum non inveni. Fortasse unum alterumve fuit inter Verrii Flacci „absurdas de eo vocabulo opiniones" quas acerbe notavit et omisit Fest. pg. 351.

10) Coelius annali libro I: primum malo publico gratias singulatim nomina. Non. II, pg. 176.

Adverbia in im terminantia apud priscae Latinitatis scriptores admodum saepe multoque, quam apud posteriores, frequentius nobis occurrunt, ita ut exempla afferre non opus sit. Gell. XII, 15. etiam Sisennam maxime talibus usum esse diserte tradidit. — Nauta, pg. 32., verba „gratiam singulatim nominare" insolenter dicta esse putat pro eo quod est „singulis nominatim gratias agere", eum honorem dicens a magistratibus e senatus auctoritate haberi solitum eis, qui pecuniae collatione, voluntaria militia, aliove munere rempublicam sublevassent. Quod quamvis verum sit, ego tamen e paucis illis verbis, quae facillime aliquo modo corrupta esse possunt ac sane videntur, tale quidquam colligere dubitaverim; neque vero ad ullam quae eo tempore gesta sit rem apte referri possunt.

11) Coelius in primo: illis facilius est bellum tractare.

Gramm. incert. fragm. de verbo, v. analecta gramm. ed. J. ab Eichenfeld et St. Endlicher pg. 173.

Tractare, h. e. „saepe“, ut paulo ante dixit, aut quod his verbis statim addidit „diu trahere“; ex Ennii annalibus etiam adscripsit verba „tractatus per aequora campi.“ — Fortasse haec tribuenda sunt Kartaginiensi cuidam de Romanorum opibus et virtute exponenti.

12) Saguntinorum Coelius, Saguntium Sallustius, ut Paulus in Coelii historia libro I. notat. Charis. I, pg. 115 P.

Plenior illa qua Coelius usus est forma Saguntinus reliquis quos habemus scriptoribus omnibus sola usitata fuit; hanc praeter hunc ipsum locum nusquam me invenire memini. Dico autem formam „Saguntius“, cuius h. l. genitivum quem antea dicebant contractum habemus; alteram enim „Saguns Saguntis“, quam proposuit Groen v. Pr. pg. 37., ne Latinam quidem esse ultro apparet.

13) Coelius hist. I: Sempronius Lilybaeo celocem mittit, visere locum, ubi exercitum exponat. Charis. II, pg. 183 P.

Animadvertendum tantummodo est liberius illud dicendi genus quo infinitivum Coelius usurparit pro eo quod vulgo exspectatur „ad visendum“ vel „quae viseret“. cf. Calp. Piso. ap. Gell. VI, 9. ipse Gell. VII, 3, 1. Post Sagunti expugnationem cum et ab Hannibale et a Romanis bellum manifesto pararetur nec tamen indictum inchoatumque esset, Romani qui legatione, qua Hannibalem exposcerent, nihil se effecturos esse viderent exercitus duos instruxerunt, provinciasque in proximum annum consules sortiti sunt P. Cornelius Scipio Hispaniam, Ti. Sempronius Longus Africam cum Sicilia. Hic igitur vere a. 537. exercitum suum cum classe in Siciliam misit et ipse aliquanto post Lilybaeum se contulit, unde mox ipsam Kartaginem, si modo alter consul ad defendendam ab Hannibale Italiam satis esset aggrederetur; atque ibi dum versatur, id quod Coelius narravit factum est. Sed interea cum Scipio Gallorum rebellione diutius in Italia retineretur, Hannibal hunc praevenit, ad Ticinum vicit, itaque totum illud Romanorum consilium patriae suae periculosissimum perturbavit. Quo factum est, ut Sempronium senatus ad ipsam Italiam Romamque defendendam cum copiis suis Ariminum proficisci iuberet; quod cum fecisset et cum altero exercitu suum coniunxisset. non multo post ambo ad Trebiam profligati sunt.

14) Coelius hist. I: duodeciens C milia passuum longe. Charis. II, pg. 182 P.

Illustratur hoc exemplo, quem statim antea Ch. commemoravit, usus v. longe ad significandam longitudinem. — His verbis quin longitudo itineris ab Hannibale a Kartagine Nova in Italiam confecti indicetur, coll. Polyb. III, 39: ὥστ᾽ εἶναι τοὺς πάντας ἐκ Καινῆς πόλεως σταδίους περὶ ἐννακισχιλίους (i e. XII. circiter centena milia passuum) οὓς ἔδει διελθεῖν αὐτόν, dubium esse non potest. — Maxime autem qui inter Polybium Coeliumque (Silenum?) intercedit consensus ideo notandus videtur, quod, cum Livius in ipso viae, qua Hannibalem Alpes superasse diceret, tractu a Polybio plane dissenserit atque ita rem per se simplicissimam mirum quantum perturbarit quaestionemque illam moverit a viris doctis multis per longum tempus in varias partes acerrime agitatam, illos, Polybium Coeliumque, prorsus eandem viam (et eam quidem quae nunc dicitur: der kleine St. Bernhard) significasse inter omnes constat.

15) Coelius in primo historiarum: dextimos in dextris scuta iubet habere. Prisc. III, 4, 22.

Ut dexter et sinister adiectiva pro comparativis proprie habenda sunt — cf. Graecorum δεξίτερος, ἀρίστερος —, sic earum stirpium Romani etiam superlativos finxerunt; quae quidem formae quamvis ad positivorum significationem prope accedere videantur, omnes tamen comparationis notionem semper servarunt. Itaque cum comparativi illi et quos Romani, eius rei obliti, rursus inde finxerunt dexterior et sinisterior, ad binas tantum res pertineant, superlativi non aeque de binis, sed de pluribus demum usurpari possunt, ut recte Nauta monuit; ita ut dicere quidem nobis non liceat unius hominis manum dextimam, similia; contra optime Varro ap. Prisc. l. l. Non. II, pg. 94. e ternis viis dextimam Epicurum munire dixerit, et quae s. s. — Ad quamnam eius temporis, quod primo libro Coelius videtur descripsisse, pugnam haec verba pertineant, neque ego perspicere potui nec alium quemquam affirmare conatum esse video. Solus Peter, l. l. pg. 80. coll. Liv. XXII, 50. ad Cannensem pugnam ea refert ac sane magnam haec coniectura prae se fert veritatis speciem. Fortasse igitur, cum pugnam illam in secundo libro a Coelio narratam fuisse constet, hoc fragmentum ei libro adscribendum est, ita ut aut Priscianum aut librarios in numero errasse statuamus.

Lib. II.

16) Suppetit etiam Coelianum illud ex libro historiarum secundo: „Si vis mihi equitatum dare et ipse cum cetero exercitu me sequi, diequinti Romae in Capitolium curabo tibi cena sit cocta“. Et historiam autem et verbum hoc sumpsit ex origine M. Catonis, in qua ita scriptum est: Igitur dictatorem Kartaginiensem magister equitum monuit: Mitte mecum Romam equitatum; diequinti in Capitolio tibi cena cocta erit. Gell. X, 24, 6. 7.

Eadem fere verba, sed ita ut non ab ipso Coelio, sed a Gellio demum ea desumpta esse appareat, inveniuntur ap. Macrob. Sat. I, 4. (ed L. Janus): Verum ne diecrastini nihil rettulisse videamur, suppetit Coelianum illud ex libro historiarum secundo: Si vis . . . sequi, diequinti Romae in Capitolio curabo tibi cenam coctam. Hic Symmachus: Coelius tuus, inquit, et historiam et verbum ex originibus M. Catonis accepit apud quem ita scriptum est: Igitur dictatorem et q. s. — De formis „diequinti“ et similibus, quas pro locativis habendas esse nunc inter omnes constat, non est quod plura addam; exemplorum satis amplam copiam collegit Gell. l. l. Praeterea animadvertendum est, quod ceterus adiectivum singulari numero scriptor dixit; quod certe non ita saepe ac tum demum fieri soleat, ubi cum nominibus collectivis quae vocamus coniungatur. cf. fragm. 34. Cato ap. Gell. III, 7. Cic. ad Att. VI, 2. de inv. I, 31. Liv. I, 8. VI, 48; XXI, 7; XXXV, 30; Suet. Galba 20. — Res ipsa explicatione non indiget. Scilicet agitur de pugna Cannensi, qua facta magister equitum Kartaginiensis Hannibalem sic ad ipsam Romam quam celerrime oppugnandam incitasse ab omnibus fere eius belli scriptoribus traditur, alio tamem ab aliis nomine appellatus cf. Liv. XXII, 51. Plut. Fab. 17. Valer. Max. IX, 5. Sil. Ital. X, 376 sqq. Flor. II, 6. Zon. IX, 1 extr. — Denique velim inter se compares Catonis et Coelii et Livii narrationes; sic enim amplificationis artisque quasi

gradationem quandam videbis; — qua tamen ipsam illius hominis personam magis magisque immutari et, ut ita dicam, a veritate recedere bene monuit Léon de Closset, pg. 480: „Les formes sveltes et militaires, la parole brève et incisive du vieux censeur se sont déjà trans formées (scil. chez Coelius) en une période que l'auteur cherche à cadencer de son mieux. Ce travestissement est poussé beaucoup plus loin dans le récit de Tite-Live .... Dans ce recit l'art étouffe la verité des caractères. La periode est parfaite; mais Maharbal n'est plus qu'un présomptueux officier qui veut faire la leçon à son général".

## Lib. III.

17) Coelius annali lib. III: imperator conclamat de medio auelitatis in sinistro cornu removeantur, Gallis non dubitatim immitantur. Non. II, pg. 98.

Annali recte scripsit Rothius pro eo quod in codd. est annalis. Deinde quod ex Bentini coniectura vulgo scribitur „ut velites e sinistro cornu etc." magnam certe veritatis speciem habet, atque ego omnium maxime recipiendum existimo, cum Mercerus scripserit „de media acie, statim e sinistro cett." Facile autem ad verba „de medio" mente quis addiderit „exercitu" vel „agmine", vel in universum hoc ita dictum intellexerit, ut idem fere sit quod de media acie. — Verbum dubitatim praeter hunc et Sisennae locum a Nonio laud. non legitur; praeterea cf. fr. 10. — Fortasse hoc fragmentum pertinet ad proelium illud, quo L. Postumium consulem designatum a Gallis victum caesumque esse narrat Liv. XXIII, 24 (cf. fragm. 41.) Pol. III, 118. Zon. IX, 3.

18) Coelius libro tertio seri . . aven . . os . . ndit. Serv. ad Verg. Georg. I, 77. (cod. Leidens. 80).

Cf. Servii grammatici in Verg. Georg. lib. I, 1—100. commentarius. ed. Thilo. Halis Sax. 1866. Burmannus et Lion, qui quidem in reliquis locis inter Serviana servatis sequendi mihi erunt, ediderunt: C. libro tertio seri avenam ostendit. — Legitur autem et hoc fragm. et reliliqua omnia quae apud Servium, qui vulgo dicitur, inveniuntur in ea Servianorum parte, quae a vetustioribus eisque melioribus codicibus absit et postea demum variis temporibus ad genuina illius verba videatur esse addita. De quibus tum demum certum quoddam iudicium proponi poterit, cum novam eius scriptoris editionem eamque ab omni parte de criticae artis legibus absolutam habebimus. Interea Coelio ea simpliciter adscribere licebit; ac sane nec reliqua ullam dubitationis causam praebent, et hoc quoque qui primum inspexerit, quamvis fortasse miratus sit, concedendum tamen erit facillime fieri potuisse, ut camporum avena satorum scriptor mentionem faceret.

## Lib. IV.

19) Coelius in IIII: custodibus discessis multi interficiuntur. Prisc. IX, 4, 49.

Obiter tantummodo significandum est participium praeteriti a verbo discedendi, qualia priscae Latinitatis auctores, cum certus etiamtum usus non constaret, haud raro a verbis neutralibus finxerunt — cf. Prisc. l. l. — Graecae maxime linguae, ut videtur, cognitione adducti illamque imitati, quae quantum suam ipsorum in hac re superaret, fieri sane non poterat quin viderent simul et aegre ferrent.

**Lib. V.**

20) Coelius in V: morbosum factum, ut ea quae oportuerint facta non sint. Prisc. VIII, 14, 77.

Adiectivum morbosus non ita saepe apud scriptores nobis servatos reperitur, et manifesto prisci vulgarisque sermonis fuit proprium; cf. Cato R. R. 2. Cic. Tusc. IV, 24 extr. Catull. 57, 6. Coel. Sabin. ap. Gell. IV, 2. Notandum etiam est verbum oportuerint contra aureae aetatis regulam personaliter dictum. — Ceterum locus non ita mihi explicandus videtur, ut voluerunt Nauta pg. 38. et Groen v. Pr. pg. 56. quasi Coelius aliquem narrarit dixisse „malum et culpandum" vel „morbose factum esse quod ea quae op. facta non sint", sed ita ut aliquem dixisse intellegamus, se morbosum factum, i. e. in morbum incidisse, itaque ea quae mandata sibi fuerint fieri non potuisse. Quae tamen quo referam, non inveni.

21) Coelius in V: nullius alii rei nisi amicitiae eorum causa. Prisc. VI, 16, 82. — nullius alius rei nisi amicitiae eorum causa. idem VII, 5, 20. XIII, 3, 12. VI, 7, 36.

Mira quaedam in hoc fragmento nobis occurrit discrepantia. Ut enim loco eo, quem primum proposui, quin alii legendum sit, dubitari nullo modo potest, sic eis, qui sequuntur, duobus alius forma quacunque ratione probatur; itemque tertio, cum ob sententiam sane etiam aliae forma, quam de coniectura sua Krehlius scribere maluit, cum Hertzio unius codicis auctoritate niso — cum reliqui alii praebeant — alius retineamus oportet. Quae quidem sic mihi explicanda videtur, ut Priscianum — si quidem ipsum Coelii opus habuit nec, quae ex eo attulit, ab aliis demum excerpta deprompsit — cum haec scriberet intellegamus illud non inspexisse, sed memoria tantum, quae antea legisset, reddidisse. Iam igitur id tantum memoria tenuisse videtur, legi in illo Coelii loco formam quandam, qua, ubi de adiectivo alius eiusque usu ac forma exponeret, tanquam exemplo uteretur; itaque altero loco hanc altero illam formam proposuit, quarum utra ipse Coelius eo loco usus sit, nos discernere non iam possumus. Ceterum cf. fragm. 3.

22) Coelius annali lib. V: at aliquam huic bello finem facere. Non. III. pg. 205.

Codd: ad aliquam. — Hoc et alia eiusmodi nomina utrum tanquam masculina an feminina usurparent, diu Romanos fluctuasse notum est; eiusque, quem hic habemus, usus etiam apud posteriores exempla satis multa inveniuntur. cf. Prisc. V, 1, 2. 5, 29. — Sine dubio haec verba sunt hominis cuiusdam vel hominum de diuturnitate belli querentium, quod et plebem et Latinos fecisse tradit Liv. XXVI, 26. XXVII, 9; qui quidem ambo loci ad Coelii lib. V. admodum probabiliter referri possunt.

23) Item Saturi locus Tarenti, quem Coelius in V. libro historiarum dicit nomen accepisse a Satura puella quam Neptunus compressit. Serv. ad Verg. Georg. II, 197.

Cod. „aratura". — Fragmentum per se nihil habet in quo offendamus; solum id dolendum est, quod exigua tantum auctoritate nitatur, cum ex unius codicis eiusque deterioribus adnumerandi, quem Burm. G littera insignivit, collatione fluxerit. — Fortasse, ut illud commemoraret, occasionem Coelio praebuit narratio de Tarenti per Q. Fabium expugnatione, quam hoc fere libro contentam fuisse ex tota materiae distributione facile colligitur.

### Lib. VI.

24) Coelius annali libro VI: consulto non paucies arcessitum. Non. II, pg. 157.

Paucies adverbium veteres eadem, qua raro, significatione dixerunt; praeter hunc autem et duos Titinnii locos a Nonio — et Fest. pg. 230. — allatos alia exempla non exstant. Similiter pluries dixit Caes. bell. civ. I, 79. compluries Cato ap. Gell. V, 21. Non. pg. 87. et ipse Gell. VII, 3.

25) Coelius annali libro VI: omnes simul terram cum classi accedunt, navibus atque scaphis egrediuntur, castra metati signa statuunt. Non. II, pg. 137.

Animadvertendum est vividum, ut ita dicam, atque alacre narrationis genus, quod praesentis maxime temporis usu exstitit (v. etiam fr. 13. 17. 28). — Manifesto autem haec verba pertinent ad eum Coelii locum, quem diserte indicavit Liv. XXIX, 27; id quod et ipsa rei natura et verborum similitudine utique confirmatur. Omnino Livius toto illo loco, quamvis Coelii sententiam reiciendam putaret, eum praecipue secutus esse videtur; ac fortasse vel iniuria eum reiecit. Nam si ipsius Livii de illa navigatione narrationem legeris, fere eadem quae Coelius tradiderat invenies, certe „prosperam" eam fuisse minime dices. Itaque ut hic, Silenum, ut videtur, secutus, fortasse aliquo modo rem auxit, Livius alterarum partium scriptoribus fretus eam imminuit. Quin etiam ut magis iure illum refutare videretur, eius verba in peius, ut hoc verbo utar, intellexit et quae proprie in eis non inessent supposuit, scilicet cum diceret „iniussu imperatoris" scaphis „haud secus quam naufragos" milites „sine armis cum ingenti tumultu" evasisse. Polybii de hac re narratio non iam exstat; Appianus et Zonaras paucis tantum verbis e quibus nihil amplius colligi possit, eam attigerunt.

### Lib. VII.

26) Coelius Antipater lib. VII: respub: amissa exfundato pulcherrimo oppido. Non. II. pg. 108.

„res pub.:" Leid., rell; „res pubus" Guelferbyt.; intellegamus oportet „respublica". Item pro „amissa", quod iure sine dubio vulgo legitur, codd. praebent „amisso". — Exfundandi verbum, quod dicitur, teste Nonio, pro „a fundo evertere", praeter hunc locum non legitur et fortasse, ne dicam probabiliter, a Coelio demum fictum est.

27) Coelius annali lib. VII: duos et septuaginta lictoris domum deportavisse fascis, qui ductoribus hostium ante soluerint ferri. Non. X, pg. 508.

In hoc quoque solendi verbo veteres nondum ad certam quandam normam pervenerunt et promiscue activam et mediam formam usurparunt; itaque eadem qua Coelius ratione eius verbi perfectum finxerunt Cato et Ennius teste Varr. de l. l. IX, 107 (ed. C. O. Müller), Sallust. ap. Prisc. IX, 10, 54. et Varro ipse, l. l., hanc rationem alteri utique praeferendam esse censuit. — In verbis „ante soluerint ferri" fortasse quis cum Groenio tmesin quandam statuendam esse putarit, ut intellegamus „soluerint anteferri", quod quidem verbum, licet solemniter fasces praeferri dicerentur, de legum latarum titulis, victarum gentium nominibus, imaginibus usurpatum esse videmus a Tac. ann. I, 8. III, 70. Sed simplicius ante pro adverbio temporis habetur et verbum simplex putatur usurpatum esse pro composito

— Bene Nauta pg. 46. hoc fragm. coniunxit cum eis quae leguntur ap. Liv. XXX, 28, 7. qui quidem sine dubio sententiam suam a Coelio deprompsit, — cf. Peter l. l. pg. 81 — cum ipsa huius verba ex oratione Kartaginiensis cuiusdam vel ipsius Hannibalis de rebus antea a se fortiter gestis gloriantis potius sumpta esse videantur. Mire autem Groen v. Pr. in voce lictorum offendit eamque pro glossemate habere maluit; nam sane aut simile quiddam apud Kartaginienses munus institutum esse potuit, aut, id quod saepissime a scriptoribus et Graecis et Romanis factum est, Coelius eorum qui apud Romanos fasces magistratibus praeferrent nomen transtulit ad homines qui Kartaginem eos deportassent. — Tanta denique fascium copia quod in Poenorum potestatem venisse dicitur, facile explicatur, si animo, quot consules, proconsules, praetores in hoc bello occisi sint, satis reputaveris; et manifesto praeterea etiam fieri poterat, ut uno alterove lictore capto aut caeso fasces ab hostibus caperentur. Diserte eorum mentio ap. fit. Liv. XXV, 16. XXVII, 27.

28) Coelius annali lib. VII: ipse regis eminus equo ferit pectus advorsum; congenuclat percussus, deiecit dominum. Non. II, pg. 89.

Codd. „avorsum;" quod quidem totam sententiam prorsus perturbat vel potius nullam efficit. — Congenuclare, pro quo Sisenna dixit congenulare teste Non. 1, pg. 57, nisi eo loco c litteram simpliciter excidisse statuendum est, est genu replicato cadere, et duobus tantum his locis invenitur. — Manifesto autem hoc fragmento agitur de Syphace rege, quem a Romanis Numidisque Laelio et Masinissa ducibus victum captumque verbis admodum similibus tradunt Liv. XXX, 12. App. VIII, 26. cf. Sil. It. XVII, 134 sqq. Laur. Lyd. de mens. IV, 63. Namque ne de Perseo rege, cui bis simile quiddam accidisse testatur Liv. XXVII, 32. XXXI, 37. cogitemus, ipsa temporis et omnino Coeliani operis ratio vetat.

29) Coelius l. VII: ita uti se se quisque vobis studeat aemulari in statu fortunae reip., eadem re gesta, topper nihilo minore negotio acto, gratia minor esset. Fest. pg. 352. s. v. topper.

**Festus:** Topper, inquit, significare ait Artorius cito, fortasse, celeriter, temere; et varia earum significationum exempla e veteribus scriptoribus affert, hoc Coelii ad illustrandam eam, qua idem fuit quod fortasse. Ab ultimis et iam oblitteratis temporibus hoc vocabulum repetitum esse dicit Quintil. I, 6, 40; nec post Coelium atque Accium etiamtum videtur usurpatum esse. — „Statum fortunae reipublicae" cum Nauta intellegendum esse puto prosperam eius condicionem; idem non male verba „nihilo minore negotio acto" tanquam per λιτότητα dicta explicavit pro eo quod proprie exspectamus: „fortasse etiam maiore negotio acto". Iam vel sic totus locus non intellegitur et aliquo modo videtur esse corruptus. Quodsi quis mutando effici posse existimat, ut veram Coelii sententiam perspiciamus, ego — omissis variis Nautae et Groenii coniecturis — omnium lenissima mutatione instituta scribendum proposuerim: „ita uti, si se quisque et q. s.", ita ut priorem sententiae partem excidisse statuam, totus autem locus sumptus videatur ex oratione cuiusdam, qui ingratum erga viros bene de se meritos animum populo Romano vel Kartaginiensi vel aliis opprobraret.

30) Coelius in VII: consuetudine uxoris, indulgitate liberum. Philargyr. ad Verg. Georg. II, 345.

Idem vocabulum, quod veterum fuisse Philarg. affirmat, ex Sisennae hist. l. III. affert Non. II, pg. 126: Bassus adsiduitate, indulgitate victus.

## Incerta.

31) Coelius: ex scriptis eorum qui veri arbitrantur. Prisc. VIII, 4, 18.

Arbitrantur, i. e. ὑπολαμβάνονται, passive, ut statim addit Prisc., qui cf. (et Gell. XV, 13); idem accidit in fragm. 32, cf. Gell. I, 13. Digest. II, 15, 8. IV, 8, 27. Meyerus autem cur M. Coelio Rufo haec verba adscribenda esse existimaverit, iustam causam nullam video.

32) Lucius Coelius: ubi senatus intellexit populum depeculari. Prisc. VIII, 4, 19.

Codd. omnes scriptum praebent Lucilius C.; praenomen igitur a Prisc. adiectum et quidem plene scriptum fuisse iure concluditur. — Depeculari, passive, cf. Plaut. Epid. III, 4, 82. — Fortasse hoc fragm. referendum est ad fraudem illam a M. Postumio Pyrgensi aliisque publicanis perpetratam, de qua exponit Liv. XXV, 3.

33) Coelius: tantum bellum suscitare conari adversarios contra bellosum genus. Non. II, pg. 80.

Bellosus i. e. bellicosus adiectivum praeter hunc locum non legitur. De usu subst. genus non est quod hic exponam; simillime Liv. XLIV, 11: bellicosum genus. Cum aperte de suscitando tantum bello his verbis agatur, dubium esse non potest quin ex priore parte primi libri sumpta sint; et Nauta pg. 22. ea rettulit ad Hannonis orationem, qualis est ap. Liv. XXI, 10, qua cuncta Barcinae factionis, i. e. adversariorum, consilia factaque eo pertinere dixerit, ut bellum cum Romanis exardesceret

34) Coelius: a navi ipse cum cetera copia pedetemptim sequitur. Non. I, 29.

Plane ut in anteced fragm., hic quoque cod. Leid. Coelius, Guelferbyt. rell. Caecilius praebent. — „A navi" libri et sic omnia bene procedunt; non recte igitur antea editt. plurimi, Aldinam secuti, scripserunt annalibus, nec recipiendum est quod Mercerus coniecit annal. I, nec quod Spengelius ana. VI, ut esset annali VI. — De voce pedetemptim, quae etiam apud posteriores non ita raro invenitur, relego ad fr. 10; de „cetera" ad fr 16

35) Nucerum enim Coelius dixit, Lucilius naverum, et q. s. Charis. I, pg. 40. P.

Eodem modo Cn. Gellius regerum et lapiderum dixit; et Varro de l. l. VIII, 74. affert formas boverum, Joverum. Quae quidem inde exstiterunt, quod cum duas lingua Latina syllabas ad indicandum genitivum pluralis haberet „om s. um" et „som s. rum", quarum illa ad vocabulorum stirpes in consonantes, haec in vocales terminantes adiceretur, prisci sermonis tempore eas inter se etiam commutabant, et addita e vocali syllabam rum stirpibus nonnullis adiungebant quibus proprie non debebat adiungi. — Haud parvam autem veri-

tatis speciem prae se fert, quod Nauta pg. 35. suspicatus est, cogitandum hic esse de nucibus illis in narranda Casilini oppugnatione a Liv. XXIII, 19. commemoratis; quanquam in uno vocabulo quis certi quidquam affirmare ausus sit?

36) Dii pro die seu diei lucan Paulus enim libri die somnique pares ubi fecerit horas e . . nte iis arguit ut sis p legendum esse definit idque in Coeli historia libro I . . . . . ere reprehendes. Charis. I, pg. 101 P.

Fragmentum hoc omnibus modis corruptum nunc etiam restitui posse prorsus despero, recteque Keilium egisse puto, qui omissis coniecturis meram cod. Bobiens. scripturam proposuerit. Attamen hoc certe ex verbis quamvis corruptis colligendum videtur, Coelium forma „dii" usum esse, de qua cf. etiam Gell. IX, 14. — cf. Verg. Georg. I, 208.

37) Subinde Nepos de inlustribus viris II. sed et Brutus et Coelius frequenter eo usi sunt. Charis. II, pg. 195 P.

Temere in his verbis ac plane iniuria Krausius: „quaeritur, inquit, num sit orator", scil. M. Coelius Rufus; nam L. Coelii Antipatri fragmentum esse propter additum Bruti nomen — de quo etiam infra nobis dicendum erit — praeter cetera certum est.

38) Delinquere pro deficere Coelius historiarum: delinquere frumentum, Sardiniam hostes tenere. Serv. ad Aen. IV, 390.

Linquens enim, dicit Servius, multi pro dereliquens Aenean, alii pro deficiens accipi volunt, more antiquo; eiusque usus etiam e Gellio et Tuberone exempla addidit. cf. Calp. Piso ap. Prisc. X, 3, 18. — Post historiarum vocabulum sine dubio libri numerus excidit; quem, cum, quae lenissima sit mutatio „historiar. VIII.", eam nos instituere non posse appareat, unde restituam non habeo. Judicium autem quam difficile in paucis eiusmodi verbis sit, bene ut aliis sic hoc quoque loco eo declaratur, quod Nauta ea Kartaginiensis cuiusdam, contra Groen v. Pr. Romani esse censuit, uterque argumentis et locis nonnullis nisus. Quanquam haec Groenii sententia mihi certe ad veritatem propius accedere videtur.

39) Coelius: Maurusii qui iuxta Oceanum colunt. Serv. ad Aen. IV, 206.

Colunt — cod. colant, iniuria quidem — i. e. habitant. cf. e. gr. Liv. XXI, 26. Gell. IX, 4. — Eadem fere verba leguntur ap. Liv. XXIV, 49: Syphax cum paucis equitibus in Maurusios ex acie Numidas (extremi prope Oceanum adversus Gades colunt) refugit etc.; itaque iure, opinor, haec verba eodem loco in Coelii opere posita fuisse et Livium non eorum tantummodo, sed totius narrationis illius fontem Coelii opus ante oculos habuisse concluditur.

40) Coelius enim de Cumano Apolline ait: Est in fano signum Apollinis ligneum, altum non minus pedes XV. Serv. ad Aen. VI, 9.

Cod. perperam „lineum" et „altus". — Cumas a. 539. Hannibal frustra oppugnavit, Liv. XXIII, 35 - 37; facile igitur aut in hac oppugnatione narranda aut alia quadam occasione oblata Coelius hoc commemorare potuit.

41) Calva κράνιον vocatur, licet Coelius et Varro calvariam dicant; nam calvariae plurale est calvae, ossa, et singulariter calvaria. Vel. Long. de orthogr. pg. 2243 Putsch.

Discrimen videtur statuendum esse hoc, ut singulariter usurparint et calvaria, ut Cn. Gellius ap. Charis. I, pg. 40 P. Prisc. VII, 8, 37., Plin. h. n. XXVIII, 8. Cels. VIII, 1. et calva, ut Martial. ep. III, 74, 1. XII, 45, 2; plurali numero tantummodo calvae. — Jure autem Krausius et Coelium et Gellium hoc vocabulo usos esse existimavit, cum narrarent cladem L. Postumii cos. des. — a. 538 —, cuius interfecti calvam purgatam auroque caelatam Boi tanquam sacrum vas in sanctissimo templo collocaverunt. cf. Liv. XXIII, 24 (Pol. III, 118. Zon. IX, 3. et supra fragm. 17.)

42) Hannibalem Coelius scribit, cum columnam auream, quae esset in fano Junonis Laciniae, auferre vellet dubitaretque, utrum ea solida esset an extrinsecus inaurata, perterebravisse: cumque solidam invenisset statuissetque tollere, ei secundum quietem visam esse Junonem praedicere ne id faceret, minarique, si id fecisset, se curaturam, ut eum quoque oculum, quo bene videret, amitteret; idque ab homine acuto non esse neglectum. Itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam curasse faciendam et eam in summa columna collocavisse. Cic. de div. I, 24, 48.

Apud nullum praeterea scriptorem ea narratio invenitur, sed bene Nauta pg. 53. ex eo, quod Liv. XXIV, 3. diserte auream illam columnam commemoravit solidamque fuisse addidit, ad hanc Coelii narrationem eum respexisse conclusit. — In universum autem hoc et quae sequuntur Coelii fragmenta a Cicerone servata haud parvi momenti sunt, quod hanc quidem paucis tantum immutatis paene genuina illius verba transscripsisse undique apparet, id quod in ea, quae apud Livium leguntur, non cadit. Apud grammaticos igitur cum paene semper pauca tantum Coelii verba nobis servata sint, apud Ciceronem etiam, qui longiores ille periodos composuerit, aliquo modo perspicere possumus.

43) Hoc item in Sileni, quem Coelius sequitur, Graeca historia est — is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est —, Hannibalem, cum cepisset Saguntum, visum esse in somnis a Jove in deorum concilium vocari; quo cum venisset, Jovem imperasse ut Italiae bellum inferret, ducemque ei unum e concilio datum; quo illum utentem cum exercitu progredi coepisse. Tum ei ducem illum praecepisse ne respiceret; illum autem diutius facere non potuisse elatumque cupiditate respexisse. Tum visam beluam vastam et immanem, circumplicatam serpentibus, quacunque incederet omnia arbusta, virgulta, tecta pervertere; et eum admiratum quaesisse de deo quodnam illud esset tale monstrum, et deum respondisse: vastitatem esse Italiae, praecepisseque ut pergeret protinus, quod retro atque a tergo fieret ne laboraret. Cic. de div. I, 24, 49.

Hoc fragmentum ab omnibus editoribus praeter Nautam et Groenium omissum est, utpote quod, opinor, ad Silenum potius quam ad Coelium pertinere putarent, — iniuria illi quidem. Primum enim per se veri multo similius est Ciceronem — (id quod etiam in Livium cadit, cf. Peter l. l. pg. 77, qui quamvis semel XXVI, 49. diserte Silenum laudarit, manifesto tamen de more suo ex alio quodam scriptore, qui Sileni tanquam fontis sui nomen addidisset, sua sumpsit) — e Latino scriptore eoque illis temporibus notissimo, quem quidem praeterea etiam aliquoties in eodem de div. libro laudarit, quam e Graeco, cuius opus certe multo minus notum ac pervulgatum vel ultro apud Romanos esse debuit, hausisse. Deinde orationis genus h. l. tale est, quale Cicero certe a prisco tantum scriptore, etiamtum horrido illo atque ineleganti, sumptum transscribere, non e Graeco sermone, qua in re de suo ingenio, quamvis ipsa facta proposita essent, sententiarum compositio verbaque depromenda essent, vertere potuit; itemque tantus inter Livii, qui eandem fere narrationem rettulit l. XXI, 21, et Ciceronis locutiones quasdam consensus, ut ita dicam, intercedit, quantus, si ambo Graeca tantum eiusdem scriptoris verba vertissent, existere non potuisset. Jam igitur verba illa a Cicerone ipsi narrationi anteposita nihil significant nisi: utramque narratiunculam se a Coelio depromere, hunc autem — id quod sine dubio addito auctoris nomine indicaverat — a Sileno accepisse. Verba autem „quem Coelius sequitur" per se non ad totum Coelii opus — quamvis in permultis eum Silenum secutum esse etiam postea nobis evincetur — sed ad solas has narrationes respiciunt. — Hanc iam Polybius novit et ad eam allusit III, 47 sq. igitur apud Silenum et fortasse apud alios quoque legit. Ab ipso Sileno eam deprompsit Dio Cass. ap. Zonar. VIII, 22; a Livio Valer. Max. I, 7. Sil. It. III. 168.

44) Omnes hoc historici, Fabri, Gellii, sed proxime Coelius. Cum bello Latino ludi votivi maximi primum fierent, civitas ad arma repente est excitata. Itaque ludis intermissis instaurativi constituti sunt. Qui antequam fierent cumque populus iam consedisset, servus per circum, cum virgis caederetur, furcam ferens ductus est. Exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire qui diceret: praesulem sibi non placuisse ludis, idque ab eodem iussum esse eum senatui nuntiare; illum non esse ausum. Iterum esse idem iussum et monitum ne vim suam experiri vellet; ne tum quidem esse ausum. Exin filium eius esse mortuum; eandem in somnis admonitionem fuisse tertiam. Tum illum etiam debilem factum rem ad amicos detulisse, quorum de sententia lecticula in curiam esse delatum, cumque senatui somnium enarravisset, pedibus suis domum revertisse. Itaque somnio comprobato a senatu ludos illos iterum instauratos memoriae proditum est. Cic. de div I, 26, 55.

Idem factum narrant Dionys. A. R. VII, 68. 69. Liv. II, 36. Plut. Coriol. 24. Valer. Max. I, 7. hisque auctoribus referendum est ad a. a. u. c. 265. Livium manifesto secutus est Valerius

Maximus; Dionysius Q. Fabium Pictorem, ut ipse c. 71. dicit, auctorem habuit; quocum Coelius — cuius quidem narrationem apud Ciceronem nos habere et Fabii Gelliique nomina tantum, neque aliud quidquam ex eorum operibus additum esse, ex eis quae §. 56. statim sequuntur verbis apparet — adeo consentit, ut eundem fontem eum habuisse, id quod fortasse etiam per se e Ciceronis verbis colligi poterat, prorsus certum sit. Livius, qui in nonnullis ab eis recedit, aut alium quendam annalium scriptorem — neque tamen Cn. Gellium quem omnino ad opus suum conficiendum non adhibuit — aut, quod ad veritatem propius accedere videtur, eundem Fabium, sed de more suo minus accurate secutus est remque rhetorice exornavit; quod idem fecit Plutarchus, sive ab ipso Fabio sive a Dionysio demum sua deprompsit.

45) C. vero Gracchus multis dixit, ut scriptum apud eundem Coelium est, sibi in somnis quaesturam petenti Ti. fratrem visum esse dicere: quam vellet cunctaretur, tamen eodem sibi leto, quo ipse interisset, esse pereundum. Hoc antequam trib. plebi C. Gracchus factus esset et se audisse scribit Coelius et dixisse multis. Cic. de div. I, 26, 56.

Cf. Valer. Max. I, 7. qui quidem aperte Ciceronem demum, non Coelium, fontem habuit: „C. autem Graccho imminentis casus atrocitas palam atque aperte per quietem denuntiata est. Somno enim pressus Ti. Gracchi fratris effigiem vidit dicentis sibi, nulla ratione eum vitare posse, ut eodem fato non periret quo ipse occidisset. Id ex Graccho, priusquam tribunatum, in quo fraternum exitum habuit, iniret, multi audiverunt. Coelius etiam certus Romanae historiae auctor sermonem de ea re ad suas aures illo adhuc vivo pervenisse scribit.“ Plutarchus C. Gracch. 1. eandem proferens Ciceronem auctorem suum etiam diserte nominat. — Facere autem non possum cum Klotzio, qui in Cic. ed. sua propter ipsam, ut ait, sententiam scripserit „quaesturam non petenti“; quod sane Plut. l. l. quodammodo confirmari videtur. Sed iure Nauta pg. 55: „E Cicerone, inquit, refert Plutarchus additque, ei (sc. C. Graccho) omnem honorum ambitionem fugienti somnium illud obvenisse. Unde colligitur verba „quaesturam petenti“ iungenda esse cum antecedentibus „in somnis“, ut hoc quoque somniaverit, se quaesturam petere“; — et sic omnia bene procedunt. Quaestor autem C. Gr. fuit ab a. 628. ad 631. — Ceterum quod leti vocabulo Coelius usus est, pertinet ad eam prisci sermonis proprietatem, qua promiscue, quae aurea aetate prorsus seiuncta essent, poesis et prosae orationis vocabula usurparentur; cuius praeter hoc etiam luculentissima exempla haberemus ea, quae leguntur ap. Cic. de or. III, 38, 153. nisi a Coelio Antipatro haec utique abroganda essent; de qua re infra exponendum mihi erit.

46 A) Quid, bello Punico secundo nonne C. Flaminius consul iterum neglexit signa rerum futurarum magna cum clade reipublicae? Qui exercitu lustrato cum Arretium versus castra movisset et contra Hannibalem legiones duceret, et ipse et equus eius ante signum Jovis Statoris sine causa repente concidit, nec eam rem habuit religioni, obiecto signo, ut peritis videbatur, ne committeret proelium. Idem cum

tripudio auspicaretur, pullarius diem proelii committendi differebat. Tum Flaminius ex eo quaesivit, si ne postea quidem pulli pascerentur, quid faciendum esset. Cum ille quiescendum respondisset, Flaminius: Praeclara vero auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur; itaque signa convelli et se sequi iussit. Quo tempore cum signifer primi hastati signum non posset movere loco, nec quidquam proficeretur plures cum accederent, Flaminius renuntiata suo more neglexit. Itaque tribus horis concisus exercitus atque ipse interfectus est. Magnum illud etiam, quod addidit Coelius, eo tempore ipso, cum hoc calamitosum fieret proelium, tantos terrae motus in Liguribus, Gallia, compluribusque insulis totaque Italia factos esse, ut multa oppida corruerint, multis locis labes factae sint, terraeque desederint, fluminaque in contrarias partes fluxerint atque omnes mare influxerit. Cic. de div. I, 35.

46 B) C. Flaminium Coelius religione neglecta cecidisse apud Trasimenum scribit cum magno reipublicae vulnere. Cic. de nat. deor. II, 3, 8.

Fragmentum, quod priore loco posui, totum nec tantummodo inde a verbis „magnum illud etiam etc." Coelio adscribendum esse, et altero quem adieci Ciceronis loco, et locutione „quod addidit Coelius" et omnino ea, quae inter duas illas narrationis partes intercedit, ratione aperte demonstratur; et hoc tantum statuendum est, priorem eius partem ab aliis quoque annalium scriptoribus narratam fuisse, posteriorem a solo Coelio, qui quidem manifesto a Sileno eam accepit; nam apud Zonaram quoque, VIII, 25, terrae motus illi, et quidem soli omissis prodigiis — quae per se ad Romanos potius scriptores quam ad Graecos referenda erant — commemorantur. Coelianae autem narrationis propria haec tria fuerunt: ut narrarentur prodigia, terrae motus, temporis quo pugnatum esset spatium. Quorum quidem nullum — et de prioribus duobus id ne exspectandum quidem erat — apud Polybium invenitur, contra omnia tria ap. Liv. XXII, 3–6 (de toto loco cf. Peter, l. l. pg. 31–33); hunc igitur, ubi eius verba non adeo cum Polybio congruant ut certo eum secutus esse putandus sit, Coelium ante oculos habuisse apparet. Livium demum fontem habuerunt Plut. Fab. 3; item Flor. II, 6; eundem expressisse videtur Sil. Ital. V, 66 sqq. 622 sqq. idemque quominus Valer. Max. I, 7. fecisse statuam sola quaedam in numero captivorum differentia me impedit; qui quidem cum terrae motum non commemorarit, fortasse vetustiorem quendam Coelio annalium scriptorem, quos teste Cicerone sola prodigia narrasse vidimus, fontem habuit. Plin. h. n. II, 84, 200. unde pauca illa, quae de terrae motu scripsit, verba sumpserit discerni non potest; alio enim eiusdem libri loco, 67, 169, Coelius diserte laudatur et fortasse ob hunc tantummodo eius nomen in elencho auct. legitur.

47) Id cum inter omnes constet, eo magis miror ambigi quanam Alpes transierit — (sc. Hannibal) —; et vulgo

credere Penino, atque inde nomen ei iugo Alpium inditum, transgressum; Coelium per Cremonis iugum dicere transisse etc. Liv. XXI, 38.

Coelium . . dicere, sic iure Alschefskius et Hertzius, pro eo quod antea vulgo legebatur: Coelius . . dicit. — De re ipsa antea quidem in varias partes acriter disceptata, sed nunc plane diiudicata hoc loco exponere longum est. cf. etiam quae supra ad fr. 14. dixi.

48) Servati consulis decus Coelius ad servum natione Ligurem delegat; malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere et fama obtinuit. Liv. XXI, 46.

Mira quaedam haec est Coelii narratio; eamque hic e tot scriptoribus solus tradidit. Nam et Polybius, quanquam non in ipsa pugna ad Ticinum narranda, sed postea, ubi in universum de Scipione disputaret, eandem quam Livius probavit, l. X, 3, et Cass. Dio fr. Peiresc. 56. Zon. VIII, 23, et, Livium manifesto secuti, Sil. It. IV, 456sqq. (coll. VI, 710. XV, 183), Flor. II, 6. Oros. IV, 14 Earum autem alteram sic simpliciter, ut Livium fecisse videmus, reicere equidem dubitaverim. Quamvis enim ab altera parte auctoritatem habeamus Polybii, ab altera Coelium coniunctum fuisse scimus cum C. Laelio, itaque etiam cum Scipionum familia, quorum quidem meritam laudem eum detrectavisse certe verisimile non est, et — cum reliqui, et vel praeter consuetudinem Cassius Dio, Romanos scriptores secuti sint — fortasse habemus auctoritatem Sileni. Ambae igitur ita mihi videntur inter se esse coniungendae, ut et P. Scipio Africanus et servus ille consulem aliquo modo servarint, sed huius laus prae illius gloria mox obsoleverit. cf Polyb. III, 65, 11. X, 3, 4.

49) Coelius auctor est Magonem cum equitatu et Hispanis peditibus flumen extemplo transnasse, ipsum Hannibalem per superiora Padi vada exercitum traduxisse elephantis in ordinem ad sustinendum fluminis impetum oppositis. Liv. XXI, 47.

Idem, quod Coelius, narravit Cass. Dio, cf. Zon. VIII, 24; Polybium, III, 66, plane alia narrantem expressit Livius, sed ita ut manifesto falso eum intellegeret et ipse etiam novam quandam sententiam proponeret. Res difficilis est diiudicatu, nec hoc loco eam diiudicaverim. Certe Coelii auctoritas eis qui huius belli historiam scribere velint non spernenda erit. Livii, qua illum refutare studuerit, ratiocinationi qui eum novit nihil tribuet; qui quidem hic quoque Padi accolam potius se ostendere voluisse, quam in rem fluviique naturam, quae esset in illis regionibus a patria sua remotioribus, videtur indagasse.

50) Omnium prope annales Fabium dictatorem adversus Hannibalem rem gessisse tradunt, Coelius etiam eum primum a populo creatum dictatorem scribit; — sed et Coelium et ceteros fugit etc. Liv. XXII, 31.

Cff. quae de hac re Livius exposuit verbis statim insequentibus et c. 8; et bene is quidem Coelium ceterosque in magistratus nomine errasse demonstravit. De tota eius magistr. historia exposuit Niebuhr, R. G. I, pg. 621 sqq. Etiam reliqui omnes quos habemus eius belli scriptores Fabium simpliciter dictatorem appellant. —

Fragmenta autem 47. 48. 49., quae omnia spectant ad a. 536., quin e primo Coeliani operis libro sumpta sint, cum dubium esse non possit, fr. 50. et quod supra e Cicerone attuli fr. 46., ad. a. 537. spectantia utrum etiam ad primum an ad secundum librum referenda sint, discerni non iam potest ac sane haud magni momenti est.

Jam vero uncis inclusum h. l. etiam proponere mihi liceat locum qui est ap. Liv. XXII, 6., qui Coeliani operis fragmentum quidem proprie vocari non possit, sed tamen novum quoddam, quamvis, ut hoc verbo utar, negativum, ad eius cognitionem afferat:

[51) Quo — (sc. ad Hannibalem) — priusquam iretur — (sc. a Campanorum legatis) —, Romam legatos missos a Campanis in quibusdam annalibus invenio, postulantes, ut alter consul Campanus fieret si rem Romanam adiuvari vellent. Indignatione orta summoveri a curia iussos esse, missumque lictorem qui ex urbe educeret eos atque eo die manere extra fines Romanos iuberet. Quia nimis compar Latinorum quondam postulatio erat, Coeliusque et alii id haud sine causa praetermiserant scriptores, ponere pro certo sum veritus Liv. XXII, 6.]

52) Coelius Romam euntem ab Ereto divertisse eo (sc. ad Feroniae templum) Hannibalem tradit, iterque eius ab Reate Cutiliisque et ab Amiterno orditur. Ex Campania in Samnium, inde in Paelignos pervenisse praeterque oppidum Sulmonem in Marrucinos transisse; inde Albensi agro in Marsos, hinc Amiternum Forulosque vicum venisse. Liv. XXVI, 11.

Vide quae statim addidit Liv.: Neque ibi error est, quod tanti exercitus vestigia intra tam brevis aevi memoriam potuerint confundi; isse enim ea constat. Tantum id interest, veneritne eo itinere ad urbem an ab urbe in Campaniam redierit. — De re cf. App. VII, 38 sqq. Liv. l. l. inde a. c. 6. Pol. IX, 4 sqq. App. VII, 33 sqq. Zon. IX, 6. Quacunque autem rem contemplatus sis, veram esse apparebit Livii sententiam. Hannibal Capua per vicinas Samnii regiones (Pol: διὰ Σαυνίτιδος, Allifas e. gr. in Samnio sitas Liv. commemorat) via Latina (Liv. c. 9. Zon: διὰ τῶν Λατίνων) recto itinere Romam profectus est; tum direpto Feroniae templo ea, quam Coelius significavit, via se recepit.

53) Multos circa unam rem ambitus fecerim, si, quae de Marcelli morte variant auctores, omnia exsequi velim. Ut omittam alios, L. Coelius triplicem gestae rei ordinem edidit, unam traditam fama, alteram scriptam laudatione filii, tertiam quam ipse pro inquisita ac sibi comperta affert. Liv. XXVII, 27.

In nomine scriptoris codd. magnopere fluctuant; praebet enim Puteaneus Cloelius, Medic. Laelius, Bamberg. Coelius; deteriores aut L. Coelius aut C. Laelius aut Laelius Coelius. Et L. quidem Coelium Antipatrum a Livio significari prorsus certum est; id tantum dubium est, utrum praenomen ab eo praeter consuetudinem additum

sit necne. Quod, cum ex omni lectionis varietate hoc apparere videatur, l litteram aliquo modo cum initio nominis coniunctam fuisse, ego servari malim. — Facile autem ex ipsis Livii verbis intellegitur, eam, — quam in antecedentibus de Marcelli morte proposuerit, narrationem tertiam illam Coelii esse. Polybium certe, l. X, 32. non secutus est, licet bene cum eo quod ad rerum summam attinet consentiat; Zonarae, IX, 9. narratio brevior est quam ex qua certi quidquam colligi possit; Appianus vero, VII, 50. plane aliam gestae rei rationem tradit, et ne speculandi quidem causa, quod plerosque fecisse Livius testatur, Marcellum dicit e castris egressum esse. — Praeterea quam parvi ipsi Romani, si quidem aliquod veritatis studium haberent, laudationes illas, quod ad rerum narratarum fidem attineret, fecerint, etiamsi ab hominibus qui ipsi rebus interfuissent conscriptae essent, bene his verbis animadvertitur. cf. Cic. Brut. 16, 62. Liv. VIII, 40. — Desumptum autem videtur hoc fragm. ex l. V, quod antecedit ex l. IV.

54) Eisdem diebus naves onerariae Poenorum ad octoginta circa Sardiniam ab Cn. Octavio qui provinciae praeerat captae. Captas Coelius frumento misso ad Hannibalem commeatuque onustas, Valerius praedam Etruscam, Ligurumque et Montanorum captivos Kartaginem portantes tradit. Liv. XXVIII, 46.

Sic iure mihi videtur scripsisse Hertzius. — De re satis levi praeterea nihil constat.

55) Quantum militum in Africam transportatum sit, non parvo numero inter auctores discrepat ... Quidam non adiecere numerum, inter quos me ipse in re dubia poni malim. Coelius ut abstinet numero, ita ad immensum multitudinis speciem auget. Volucres ad terram delapsos clamore militum, atque tantam multitudinem conscendisse naves, ut nemo in Italia aut in Sicilia relinqui videretur. Liv. XXIX, 25.

56) Prosperam navigationem sine terrore ac tumultu fuisse permultis Graecis Latinisque auctoribus credidi. Coelius praeterquam quod non mersas fluctibus naves, ceteros omnes coelestes maritimosque terrores, postremo abreptam tempestate ab Africa classem ad insulam Aegimurum, inde aegre correctum cursum exponit; et prope obrutis navibus iniussu imperatoris scaphis haud secus quam naufragos milites sine armis cum ingenti tumultu in terram evasisse. Liv. XXIX, 27.

De militum numero illo praeterea nihil constat; ac sane res certo vix poterit diiudicari. Item qui fieri potuerit, ut tantopere Coelius eam augeret et in fabularum modum exornaret, me plane non intellegere fateor. De fr. 56. v. quae supra ad fr. 25. proposui. Utrumque pertinet ad l. VI, quem quidem ab hoc anno, quo Scipio consul esset, incepisse vel pro certo ponere licet. — De locut. „nemo mortal.“ cf. Gell. XIII, 28.

57) Duos eodem nomine Kartaginiensium duces duobus

equestribus proeliis interfectos non omnes auctores sunt, veriti, credo, ne falleret bis relata eadem res. Coelius quidem et Valerius etiam captum Hannonem tradunt. Liv. XXIX, 35.

Alterum proelium a Livio narratur c. 29. Coelius igitur unum tantum proelium et unum Hannonem eumque captum memorarat — (perperam enim Groen v. Pr. pg. 66: quae ita explicanda mihi videntur, ut Coelius et Valerius duorum quidem Hannonum mentionem fecerint, sed quorum unum occisum, alterum, de quo h. l. agitur, captum traderent) — et plane idem inveneris ap. App. VIII, 14. Zon. IX, 12. in hoc quoque Silenum sine dubio vel alium eius generis, ut ita dicam, scriptorem secutos.

58) Nepos Cornelius auctor est, Eudoxum quendam sua aetate, cum Lathurum regem fugeret, Arabico sinu egressum Gades usque pervectum, multoque ante eum. Coelius Antipater vidisse se, qui navigasset ex Hispania in Aethiopiam commercii gratia. Plin. h. n. II, 67, 169. (ed. Sillig).

Plinium exscripsit Martian. Cap. VI, pg. 201 Grot: Cornelius auctor adfirmat quendam Eudoxum fugientem regis insidias ex Arabico sinu in Gaditana pervenisse refugia. Coelius Antipater se hominem vidisse confirmat, qui negotiationis ardore in Aethiopiam ex Hispania navigasset. (ed. Eyssenhardt). — Si verum est quod supra pg. 23. exposui, Coelium huius rei in describenda Africa mentionem fecisse, hoc fr. probabiliter ad initium l. VI. refertur, qui quidem locus praeter ceteros aptus fuit, quo, antequam bellum a Scipione iam in ipsam Africam translatum describeret, de eius terrae situ ac natura exponeret.

59) Alpes in longitudinem centena milia passuum patere a supero mari ad inferum Coelius tradit. Plin. h. n. III, 19, 132.

Sine dubio lib. I. hoc factum est, ubi Hannibalis per Alpes iter narraret.

60) Coelius apud nos in Averno ait etiam folia subsidere, Varro aves quae advolaverint emori. Plin. h. n. XXXI, 2, 18.

Haec verba quanquam ab historiae scriptore quodammodo aliena esse videntur, tamen cum in bello P. II. describendo occasiones multae essent ubi eius lacus mentionem facere liceret, — cf. maxime Liv. XXIV, 12. — quis fieri potuisse negarit, ut hoc quoque, quod praeter cetera mirum notitiaque dignum sibi videretur, paucis commemoraret?

61) Coelius(que) Troianum Capyn condidisse Capuam tradidit, eumque Aeneae fuisse consobrinum. Serv. ad Aen. X, 145.

Cf. de hoc fr. supra pg. 12.

62) Subnixa Petelia muro .... alii subnixam ideo accipiunt, quia imposita est excelso muro, ut Coelius historicus ait. Serv. ad. Aen. III, 402.

Nauta cum verbis non recte intellectis dubitaret, num pro „cincta muro“, Coelius scribere potuisset „imposita muro“ legendum coniecit „tumulo“; quod perperam factum ultro apparet. Re vera igitur Peteliam — de quo sane praeterea mihi

quidem nihil innotuit — aliqua ex parte muro substracto impositam fuisse intellegamus oportet. — Petelia a. 538. a Poenis Bruttiisque capta est (Liv. XXIII, 20. App. VII, 29) Bruttiisque tradita; quos postea cum legatos Romam misisse suspicaretur, Hannibalem punivisse tradit App. VII, 57. A. 546. Hannibal „sub tumulo Peteliae“ insidias locavit, in quas Romanorum quaedam manus Tarento Locros missa incidit. Liv. XXVII, 26.

63) Coelius: nullae nationi tot, tantas, tam continuas victorias tam brevi spatio datas arbitror quam vobis. Prisc. VI, 1, 5.

Unus h. l. Vatic. 1480. praebet „Caelius“, ceteri praeter duos, in quibus est „Cicilius“, omnes „Caecilius“. Attamen quin recte se habeat Coelii nomen, nemo dubitaverit. — Jam vero M. Coelio Rufo hoc fragm. attribuit Ruhnkenius, ad Vell. Pat. II, 68., assentiente Nauta pg. 14. Groenio pg. 76. Ellendtio proleg. ad Cic. Brut. pg. 129. Krausio; itemque Meyerus, or. R. rel. pg. 469, eius reliquiis inseruit, cum antea Coelio Antipatro vulgo assignaretur. Quarum quidem sententiarum cum per se utraque ferri possit, haec tamen omnino ad veritatem propius accedere videatur et insuper accedat, quod admodum saepe Coelium Antipatrum, nunquam Coelium Rufum Prisc. laudarit: equidem Antipatri fragmentis adscribendum esse censui, et pertinere puto ad orationem aut qua Hannibal ante pugnam Cannensem militum animos incitavit (Polyb. III, 111, 7), aut, id quod etiam magis placet, quam Mago post pugnam ab Hannibale fratre missus Kartagine in senatu habuit (Liv. XXIII, 11), in quibus similes quaedam locutiones nobis occurrunt. — De forma nullae v. Prisc. l. l., et supra fr. 3.

---

Praeterea vulgo L. Coelio Antipatro etiam haec adscribuntur, quae, num re vera ei tribuenda sint, certe magnopere dubitari licebit:

Fest. s. v. ocius, pg. 181 M. . . . . . . . . . . . . .
quicquam ocissi(me . . . . . . . . . . . . . Coe-)
lius historiarum (libro . . . . . . . . . . . conci-)
tantur ocissime . . . et q. s.; — et:

Schol. Veronens. ad Verg. Aen. V, 251 (ed H. Keil, una cum M. Valer. Probi in Verg. Buc. et Georg. et Aspri quaest. Verg. fragm., Hal. 1848): Lucretius in II, Iam tibi barbaricae vestes Meliboe(*a*)que fulgens purpura: Coelius, mean . . . | factum meandro duplici . . . . . . . . . lana est qualis a Melibea . . . . . . . . ut velum . . | sic alius eum errantem, alius ludentem dicit, an potius duo opera Meandri in chlamy(*de texta? placet*) | hoc magis. |

Uterque locus misere corruptus est. In posteriore verba „mean . . factum meandro duplici“ (quorum decem fere litterae interierunt) ad Coelium illum, sive Antipater sive alius intellegendus est, referamus oportet. Reliqua omnia post duplici verbum, ubi quarta fere versus pars (h. e. XX circiter litterae) deest, exciderunt.

Iam vero ad fragmenta quaedam accedendum nobis est, quae a L. Coelio utique mihi abiudicanda videantur.

Et primum quidem apud Nonium haec leguntur:

IV, pg. 405: Coelius annali lib. I: ea Latini subnixo animo ex victoria inerti consilium ineunt; —

I, pg. 87: Coelius annali lib. I: armis et magno commeatu et praeda ingenti copiantur; —

II, pg. 129: Coelius annali lib. I: arma plerique abiciunt atque inhermis in latebras se inlatebrant;

II, pg. 113: Coelius lib. II (non recte vulgo lib. I.): domus suas quemque ire iubet et sua omnia frunisci; —

sed eadem a Gellio XVII, 2. inter multa alia e Qu. Claudii Quadrigarii primo annali sumpta proponuntur. Unde quicunque Gelli l. l. legerit, quin aut Nonius — si simul considerarit qua fere ratione grammatici posteriores eorumque in hac re haud infimus Nonius locos quos tanquam exempla afferent collegerint — cum de more suo Gellium excerperet, aut librarii erraverint, dubitare non poterit. Accedit, quod haec fragmenta omnia ad tempora Romae per Gallos incendio superiora, minimeque ad bellum Punicum secundum referenda esse, omnis qua Gellius eo loco Claudium excerpsit ratio et quo singulas sententias proposuit ordo satis aperte docet.

Deinde inter L. Coelii reliquias editores omnes verba haec posuerunt, quae sunt apud

Cic. de or. III, 38, 153: „Neque enim illud fugerim dicere, ut Coelius: Qua tempestate Poenus in Italiam venit, nec prolem aut subolem aut effari aut nuncupari, aut, ut tu soles, Catule, et q. s.“ —

et ipse in ea sententia fui, donec accuratius locum intuenti persuaderetur, hic non L. Coelium Antipatrum, sed potius C. Coelium Caldum significari. Nam et omnino Crassus, sub cuius persona ipsum Ciceronem latere facile agnoveris, ad oratores tantummodo orationisque leges respicit — id quod ad orationes a L. Coelio in opere suo scriptas referre vix quisquam ausus sit — et manifesto ad hominem eum, qui non antea, interposito satis longo temporis intervallo, sed eo ipso fere, quo haec dicerentur, tempore illis locutionibus usus sibique quasi aequalis atque etiamtum ante oculos positus esset. Dialogus autem de oratore habitus esse fingitur ineunte a. 663, et C. Coelius Caldus, quem ipse Crassus ap. Cic. de or. I, 25. aequalem appellat, consul fuit a. 660. — igitur illo maxime tempore floruit — et bene Ciceronis quae sunt de eo iudicia (de or. I, 25. Brut. 45) cum his coniun

guntur; nec vero „Poeni“ commemoratio ullo modo quominus hoc statuamus obstat.

Porro L. Coelii Antipatri esse haec dicuntur:

Quintil. I, 5, 61: „Ne in a quidem atque s litteras exire temere masculina Graeca nomina recto casu patiebantur, ideoque et apud Coelium legimus „Pelia cincinnatus“ et apud Messallam, cett;“ —

Quintil. I, 6, 42: „Neque enim tuburchinabundum et luburchinabundum iam in nobis quisquam ferat, licet Cato sit auctor, nec hos lodices, quanquam id Pollioni placet, nec gladiola, atqui Messalla dixit, nec „„parricidatum, quod in Coelio vix tolerabile videtur““, nec collos mihi Calvus persuaserit et q. s.“ —

quod num iure factum esset iam Krausium dubitasse video. Imo manifesto utroque loco M. Coelius Rufus intellegendus est; quod cum per se in Quintiliano rhetore veri multo sit similius, iam prorsus nulli dubitationi obnoxium erit si, quibuscum Coelius ille una nominatus sit, consideraveris. Praeterea „parricidatum“ si apud Coelium Antipatrum Quintilianus legisset, vix credo tam intolerabile ei visum esse, quod sane videri debebat in Coelio Rufo Ciceronis discipulo; et locutionem „Pelia cincinnatus“, ad comicorum analogiam fictam, illum quidem nunquam, hunc in orationibus suis saepissime usurpare potuisse quisque videt.

Apud Fest. pg. 158. s. v. Mamertini. longa quaedam narratio invenitur, qua, unde Mamertini originem nomenque duxissent, scriptor quidam exposuit, qui quidem in fine narrationis his verbis significatur: „cuius historiae auctor est Alfius libro primo belli Carthaginiensis“. — Pro Alfii nomine Nipperdey. Philol. t. VI. pg. 133., scribendum proposuit „Caelius“; cui ego adsentiri non possum. Sive enim verba illa, ut nunc leguntur, ex huius opere mere transscripta putas, sive a Verrio Flacco vel Festo ita excerpta, ut summam tantum eorum, quae in ipso opere scripta fuerint, habeamus: omnino plura sunt, quam quae Coelium, qui bellum Pun. primum obiter tantum et tanquam praefationis loco commemoraret, exposuisse credere possimus, — ne iam hoc urgeam, quod mira illa operis inscriptio ad Coelium referri vix potest —; si illud statuis, obstat etiam, quod nullum prisci sermonis vestigium in ea narratione invenitur. Quae omnia, si L. Arruntium, Sallustianum illum, qui belli Punici primi historiam scripsit (Sen. ep. 112), intellegimus, bene se habent, maxime si, id quod Nipperdey l. l. pg. 139. magna cum probabilitate coniecit, hic L. Arruntius non fuit is qui, consul a. p. Chr. n. 6, a. 37. mortuus est, quem saepe Tacitus com-

memorat, sed eius pater, cos. a. a. Chr. 22., de quo cf. Appian. bell. civ. IV, 46. Vell. II, 77. 85. 86. Plut. Ant. 66.

Porro ab omnibus, qui antea haec fragm. ediderunt, etiam tale quoddam propositum est e

Charis. I, pg. 112 P: „Coelius ait: publicatos quippe fastos omnes et libros a Fulvio Nobiliori scriptos retulisse;“ —

sed haec sententia audacissima tantum Fabricii coniectura nititur; cod. enim Bobiens. totum locum sic scriptum praebet: „Nobiliore comparativa Plinius e putat ablativo finiri stn̄ ait per i locutos quippe omnes fastos et libros a Fulvio Nobiliori rettulisse“. Omnium igitur optimum est quod proposuit Keil, ut scribamus: „antiquos (vel ut iam antea Rothius l. l. pg. 315: veteres) ait per i locutos etc.“ et sic tota sententia bene se habet. Mommseni certe coniectura, qui legendum proposuerit „. . . tamen ait per i locatos ab ipso fastos et omnes libros a F. N. scriptos etulisse“ (comm. soc. litt. Sax. a. 1854), ita ut in lacuna omissum esse existimaret nomen grammatici, qui fastos a F. N. in aede Herculis Musarum positos citaret, ingeniosa illa quidem, sed artificiosissima simul et quae a tradita loci scriptura longissime recedat, non video quomodo probari possit. —

Iure autem Vossium secuti Nauta pg. 12. et Groen v. Pr. pg. 76. a Coelio abiudicaverunt locum qui est apud

Plin. h. n. VIII, 5, 11: „Antipater auctor est duos Antiocho regi in bellicis usibus celebres (sc. elephantos) etiam cognominibus fuisse, cett;“ —

nam praeterquam quod res ad bellum Punicum II. non pertinet, Plinius, quem vel per se parum probabile est L. Coelium sic simpliciter Antipatrum dicturum fuisse, in el. auct. l. VIII. inter Romanos Coelium non nominavit, sed inter externos Antipatrum. Iure autem, ut videtur, Vossius de hist. Gr. III. pg. 160 (391. ed. Westermann) hoc fragmentum Antipatro illi, qui *περὶ ζώων* librum scripsit teste schol. ad Ap. Rhod. Arg. II, 89., attribuit.

Plane iniuria autem Krausius, sine ulla causa „Lucius Coelius“ legendum esse suspicatus, ex Prisc. VIII, 4, 15. addidit: „Lucius Caesar: certaeque res augurantur.“

Variae sunt vv. dd. sententiae de loco hoc, qui l. apud

Strab. V, pg. 230 Casaub.: „*Ἄλλη δέ τις προτέρα καὶ μυθώδης* (sc. *τῆς Ῥώμης κτίσις ἐστίν*), *Ἀρκαδικὴν λέγουσα γενέσθαι τὴν ἀποικίαν ὑπ᾽ Εὐάνδρου κτλ . . † ὁ τῶν Ῥωμαίων συγγραφεὺς τοῦτο τίθεται σημεῖον τοῦ Ἑλληνικὸν εἶναι κτίσμα τὴν Ῥώμην τὸ παρ᾽ αὐτῇ τὴν πάτριαν θυσίαν Ἑλληνικὴν εἶναι τῷ Ἡρακλεῖ.*“

Ubi † signum posui, in libris mss. legitur ὅ γε κύλιος et ὁ κεκύλιος. Iam Vossius, quem secuti sunt Nauta pg. 14. et Coraius, intellexit Caecilium rhetorem Calactinum, qui scripsit περὶ δουλικῶν πολέμων; Lachmannus, de font. Liv. I, pg. 31. et Kramerus scribendum putaverunt ὅ γε Κοίλιος, intellegentes L. Coelium Antipatrum; in medio rem reliquerunt Groen v. Pr. pg. 75. Krause pg. 184. Et Vossii quidem sententiam quominus accipiamus, utique eo prohibemur, quod neque, quomodo eius rei Caecilius ille mentionem facere potuerit, satis perspicitur, nec omnino, id quod bene animadvertit Lachmannus, τὸν τῶν Ῥωμαίων συγγραφέα eum dicere Straboni licuit. Sed ne alteris illis quidem adsentiendum esse puto; nam quanquam res bello Punico antiquiores Coelium interdum commemorasse ipsi iam vidimus, tamen ad singulares et peculiares eiusmodi uberius exponendas eum descendisse cogitari non potest — id quod etiam in Solini locos cadit de quibus statim infra disputandum nobis erit —; et si fecisset, mirum certe fuerit, quod Dionysius Halic. eius plane nullam mentionem fecit. Verum autem videsse existimo Schweglerum, Röm. Gesch. I. pg. 80, qui quidem C. Acilium Glabrionem intellegens haec dixit: Coelius hat lateinisch geschrieben, während Strabo nur griechische Quellen citirt. Handschriftlich empfiehlt sich ἀκύλιος (wie bei Dionys. III, 67.) oder ἀκίλλιος (so cod. Vat. an jener Stelle) mindestens eben so sehr als κοίλιος. — Quod quidem, si omnino C. Acilii studia quae fuerint consideraveris, etiam magis probandum videbitur.

Denique Krausius Coelii fragmentis duos Solini locos addidit, qui leguntur c. I, 8, pg. 7. et c. II, 27, pg. 42 ed. Mommsen; quamvis ipse dubitans. Et in illo quidem loco quod Krausius, in Camertis editione margini adscriptum, rectius se habere suspicatus est „Gellius", id nunc ob codd. auctoritatem Mommsenus in textum qui vocatur recepit; idem altero loco e libr. mss. auctoritate utique „C. Coelius" legendum esse demonstravit — ita ut, si quidem Coelii nomen retineamus, cogitandum certe non sit de L. Coelio Antipatro —; sub quo tamen eundem Cn. Gellium latere Krausius iure mihi videtur coniecisse.

## IV.

Iudicium igitur ut de L. Coelio dicere possimus, — rem, ubi de scriptoribus, quorum opera integra ad nostra tempora manserunt, agatur, difficilem illam quidem, in eis vero, quorum exiguas tantum particulas quasdam habemus,

vel difficillimam — id maxime agendum nobis erit, ut quae ipsorum veterum de eo fuerit sententia, videamus. Et hanc quidem, quod ad formam attinet, cuius ipsi Romani et omnium maxime Cicero praestantissimi iudices habendi sint, nos quoque, nisi forte amplificatam aliquo modo atque explicatam, statim sequamur oportet; quod ad ipsas res Coeliique fidem, etiam nostrum quoddam iuxta veterum iudicium stare poterit.

Et primum quidem, quod ad formam attinet, Coelium quoque consentaneum est aeque ac reliquos omnes linguae, quae illo tempore esset, condicioni ac materiae, ut ita dicam, obnoxium fuisse: hic quoque totus fuit inter antiquos. Iam non est quod hoc loco aut de prisci sermonis natura, quae omnino fuerit, exponam aut singulas, quibus Coelium usum esse supra vidimus, eius generis locutiones repetam. Facile autem, cum ob res a se narratas in praestantissimorum illius temporis scriptorum numero haberetur, saepe ob prisca tantummodo et obsoleta vocabula eum a posterioribus scriptoribus laudatum esse conspicitur; — et sic, si Charisii locum, qui est l. I. pg. 115 P. consideramus, Paulus quidam grammaticus — Hadriani fortasse temporibus[1]) — vel librum conscripsisse videtur, quo prisca Coelii vocabula locutionesque explicaret (id quod etiam in recentiorum libris nonnullis scriptum inveneris). Apud eundem Charisium tamen, cum c. I, pg. 101 P. — in loco quamvis corrupto, de quo praeterea certi quidquam statuere non ausim — ipsius Pauli, ut videtur, verbis haec proposita sint: „idque in Coeli historia libro I . . . ere reprehendes", ita ut is non ad opus quoddam suum, cui inscriberetur „Coelii historia", sed ad ipsum Coelii opus relegasse videatur, nec altero in loco, II, pg. 193, ille quasi titulus additus sit, sed ipsa eius verba, quibus Coelii locutionem quandam, qua is usus esset hist. libro I., explicaret, afferantur; denique cum c. II, pg. 214. simpliciter Paulus, utpote qui Afranii quoddam vocabulum explicasset, laudetur: potior apud me Krausii (pg. 189) sententia est, qui quidem non commentarium, ut ita dicam, in Coelii opus, sed omnino librum quendam, quo de priscis vocabulis disputaret, illum composuisse statuerit, etiamsi forte Coelii posterioribus temporibus praeter ceteros celebris saepius reliquis mentionem faceret; — ita ut parum accurate tantummodo Charis., quae c. I. pg. 115. leguntur, dixerit pro eo quod proprie dicendum erat: „Saguntinorum formam a Coelio in historia-

[1]) Namque ut de hoc maxime tempore cogitemus, statim adducimur, si omnino eius studia et Hadriani de Coelio iudicium consideramus.

rum lib. I, [1]) Saguntium a Sallustio usurpatam esse Paulus notat".

Animadvertendum autem est, alios scriptores velut — ne Catonem proferam – Claudium Quadrigarium et Sisennam, qui ab aurea linguae Latinae aetate multo propius abessent, hoc etiam multo saepius ob prisca tantum vocabula a grammaticis laudari; nec iam vocabulorum locutionumque monstra illa, ut hoc verbo utar, ne dicam ab aureae aetatis sermone aliena, sed vel sic nimis mira atque inexspectata apud eum invenimus; quin imo in vocabulis quaerendis singulare quoddam studium eum habuisse Fronto aperte dicit (ep. ad M. Caes. IV, 3, pg. 95. ed. II. Mai.) et in ea re solum, praeter M. Porcium eiusque frequentem sectatorem C. Salliustium, e veteribus historicis etiam inter poetas et tanquam Ennium studiose aemulatum enumerat. Quid quod idem, ubi de historicis illis iudicium suum paucis proposuit vel potius quid maxime cuiusque proprium sibi videretur indicavit (ad Verum I. pg. 171), cum Sallustium structe, Pictorem incondite, Claudium lepide, Antiatem invenuste et vel Sisennam longinque tantummodo — (i. e. inusitate cf. Cic. Brut. 75, 260) — historiam scripsisse diceret, ut Catonem multiiugis sic Coelium singulis verbis scripsisse commemoravit, id quod item eius reliquiis satis aperte confirmari videmus.

Iam vero Coelius, quamvis, quod ad ipsam orationis quasi materiam attinet, ab aequalibus proprie diversus non esset, sed ita ut in hoc ipso ceteris aliquantum iam praestaret, omnino etiam novum quendam historiae scribendae progressum condidit aut certe viam eo munivit; id quod apparet ex luculentissimis quibusdam Ciceronis locis — de leg. I, 2. Brut. 26. de or. II, 12. 13. or. 69. — qui primus etiam, ut videtur, hoc cognovit, et quidem summis laudibus ornavit. Coelius igitur quo tempore nihil historia nisi annalium confectio esset, ad quos scribendos qui incumberent nullis orationis ornamentis adhibitis — ut ipsius Ciceronis verbis utar — monumenta solum temporum, hominum, locorum gestarumque rerum relinquerent et omnino narratores tantum rerum essent, primus se erexit, et vehementius inflavit maioremqe historiae

[1]) Accedit quod re vera in lib. I. quo belli causas atque initia exponeret, Saguntinos ille saepissime commemorare debuit.

sonum vocis addidit et exornator[1]) quoque rerum fuit; scilicet quia cognovit sermonis descriptionisque elegantiam, venustatem, dignitatem ad rerum narratarum veritatem accedere debere et quasi alterum esse historiae elementum; quod praeter ceteros bene cognovit Cicero, summus ille linguae, ut hac imagine utar, faber atque artifex, qui sane in contrarias veteribus illis annalium scriptoribus partes modum excessit, ita ut sola fere orationis elegantia historicam artem contineri putaret (cf. de leg. 1, 2. de or. II, 9. de toto loco egregrie disputavit Ulrici, Char. d. ant. Hist. pg. 110 sq.), id quod in ipsa quodammodo Romanae mentis indole situm erat. Deinde autem haec Coelii ratio non solum formae progressus fuit, sed transitum etiam facit a simplici rerum gestarum enarratione, qualis antea fere solius temporum ordinis ratione habita institueretur, quam mere obiectivam vocarim, ad subiectivam historiae scribendae rationem, qua uno quasi nexu atque implicatione comprehensae res describerentur, qualem historiae artis praecepta requirunt. — Porro Coelius iam sensit vitiosam esse verborum traiectionem, quo melius aut caderet aut volveretur oratio, institutam; quam si prorsus quidem vitare non potuit, si rudis etiamtum fuit viresque habuit agrestres atque horridas sine nitore ac palaestra, si parum etiamtum orationem varietate verborumque collocatione distinguere et tractu orationis leni atque aequabili — quod quidem maxime orationis genus ut ad historiam scribendam adhiberetur postulavit Cic. de or, II, 15. or. 20. — opus suum perpolire potuit et Graecam artem etiam parum doctus fuit, denique si non statim, quae sibi appetenda esse videret, consecutus est: tamen ad summum perfectionis fastigium haud paulum profecit eisque qui postea res gestas scriberent luculentum quoddam, quod imitarentur atque unde profecti maiora tentarent, exemplum proposuit. Quod quidem quo minus factum est teste Cic. de leg. I, 2, eo ipse pluris nobis aestimandus videtur esse.

Ciceronis hoc de Coelio iudicium quin accipiendum nobis sit, nemo, opinor, dubitabit; atque ipsis fragmentis — quantum quidem ex his, qua sunt exiguitate, colligi potest

[1]) Non recte Bernhardy loci sententiam assecutus est cum haec diceret, Grundr. d. röm. Litt., ed. IV. pg. 646: Cicero, „dem seine Form höchlich missfiel" — (similiter nec tamen magis recte Niebuhr, Vortr. üb. röm. Gesch. II., pg. 62) — hat wohl richtig geurtheilt, dass er zuerst einen Stil in die Historiographie gebracht, indem er äusserlich rhetorische Farben auftrug, „gut genug für einen exornator rerum, zu wenig für einen Künstler."

— confirmatur. Ut enim in fr. 16. tanquam manifesto eius rei, quantum orationem Coelius amplificarit atque exaggerarit, exemplo iuxta positis Catonis verbis aperte videmus, et in aliis nonnullis satis vivido eum usum esse invenimus narrationis genere, ita quantum ea omnia a Ciceronis elegantia et maxime numero etiam absint ultro apparet; et in narrationibus illis quae a Cicerone servatae sunt (cff. fr. 42. 43. 44. 46), quamvis aliquanto immutatis, etiamnunc Coelianae dictionis, simplicissimae illius quidem ac solutae, qua non tam sibi subiungerentur quam adiungerentur sententiae — (unde fortasse explicatur frequens vocis „subinde", ut „exin" ap. Cic. de div. I, 26, usus, cf. fr. 37) — vestigia ubique reperiuntur.[1])

Quodsi, quam arta apud Romanos inter historiam atque eloquentiam coniunctio intercesserit, satis nobiscum reputarimus, neminem credo dubitaturum, quin hic quoque historiae progressus ad eloquentiae similem quendam aut eodem tempore aut paulo ante — (nam sane haec illam fere semper aliquanto antegressa est) — factum referendus sit; et vero eloquentia — (v. Cic. Brut., optime id. Tusc. I, 3, 5) —, a Scipione, Laelio, Ser. Sulpicio Galba maxime initio facto, deinde per M. Aemilium Lepidum, C. Papirium Carbonem, Ti. Gracchum etiam magis exculta, tum autem per C. maxime Gracchum, Graecos litteras Graecorum disciplina et consuetudine aeque atque illi fuerunt doctum, a veteri illa ratione ad perfectionis finem eum, quem consecutus est Cicero, mirum quantum propulsa est. Hanc igitur rationem Laelii sine dubio et omnino circuli illius consuetudine primum cognitam atque adamatam Coelius amplexus, ut ad formandum L. Crassi ingenium adhibuit, sic ad historiam scribendam transtulit; et vel in eligendo operis argumento (cf. pg. 15.) — praeterquam quod illa cum Scipionibus coniunctio haud parvi in ea re momenti fuisse videtur — si quis Thucydidem eum ante oculos habuisse contendere velit, equidem minime oblocutus sim.

Orationes Coelium operi suo inseruisse ex eius reliquiis aperte perspicitur; fragmenta enim 4. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 26. 29. 63. ex orationibus sumpta esse aut certum aut veri ad-

---

[1]) Quae quidem omnia si qua par est ratione contemplatus sis, Cicero non iam ipse secum pugnare videbitur, cum Coelium quidem omnes qui antea historiam scripsissent superasse dixerit, et tamen Catonem Brut. c. 16. 17. summis ornaverit laudibus. Is enim, quamvis magni sane aestimandus esset, tamen, id quod maximum erat primusque Coelius addere studuit, eius sermoni numeri deerant. Sic Coelii luminibus Catonis illa laus minime officit.

modum simile est. Idem ab eis qui ante Coelium annales scripserunt factum esse, et scriptorum testimoniis (velut Cic. Brut. 21. 23. de or. I, 53. Liv. XLV, 25. epit. XLIX. Gell. XIII, 24) et item eorum fragmentis confirmatur, nec per se mirum est. Sed quaeritur utrum primus Coelius fictas a se orationes inseruerit, id quod nonnulli factum putaverunt,[1]) necne; nam sane testimonia illa omnia ad orationes tantum re vera antea habitas spectant; — quam tamen rem etiamnunc diiudicari posse non credo. Sententia enim illa quamvis ad historiae naturam ac rationem, quae illo tempore fuerit, accommodata esse videatur: quis tandem, quaeso, etiam scriptores Coelio antiquiores, ubi idonea earum argumenta invenirent, orationes — id quod omnino veteres historici fecerunt — finxisse et quasi ab hominibus rerum a se narratarum nexui implicatis habitas proposuisse negaverit? Fortasse igitur hoc tantummodo accipiendum nobis est, Coelium ceteris saepius illud fecisse — (ac sane belli Punici II. historiam multas eiusmodi occasiones obtulisse consentaneum est) — orationesque finxisse et, quod quidem discrimen in his statuendum est, ubi vere habitarum argumenta apud auctores suos inveniret, et ubi e rebus gestis tantum, quae unum alterumve dicere potuisse putaret, ipse colligeret.

Postremo de fontibus et auctoritate L. Coelii Antipatri si quaeritur, maxime duo illa videnda nobis erunt, verane ille narrare et potuerit et voluerit. Et fontes quidem quibus uteretur illo tempore etiamtum habebat optimos, si quidem summi viri, qui ipsi bello interfuissent, eius historiam scripserant et ipsum non ita multum ante gestum erat, ut, etiamsi oculati quos vocarim testes non iam viverent, tamen non certa quaedam de eo quasi conscientia ac notitia inter omnes propagata esset. Praeterea cum Laelii ac fortasse etiam Scipionis consuetudine uteretur, quem inde ad illorum temporum notitiam fructum capere potuerit, quis est quin statim agnoscat? Fabii[2]) igitur et

[1]) Sic Léon de Closset, pg. 499: Nous avons vu ces harangues (fictives) pénétrer chez les Romains avec Coelius Antipater, etc.

[2]) Sed iniuria Nauta pg. 16. tanquam eius rei testimonium e Dionys. Hal. A. R. I, 79. proposuit verba haec: „ . . (sc. *περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων*) *Κόιντος μὲν Φάβιος ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν, τῇδε γράφει* etc., inter *τοὺς πλείους τῶν ἀλλ. συγγρ.* etiam Coelium referri posse suspicatus; — id quod dicendum potius erat de eis quae leguntur ap. Cic. de div. I, 26 (fragm. 44).

Cincii annales quin ad opus suum componendum adhibuerit, aut certe noverit ad eosque respexerit, dubium esse non potest; ex M. autem Porcii Catonis originibus eum hausisse ipsi supra vidimus et Gellius, ne quis casu tantum eorum verba tanto opere inter se congruere existimaret, aperte dixit. Idem sine dubio novit inspexitque C. Acilii Glabrionis, A. Postumii Albini, L. Calpurnii Pisonis, L. Cassii Heminae annales ante suos ipsius editos; legit etiam Marcelli laudationem a filio scriptam, unde haud temere omnino eum quantum posset ex familiarum commentariis hausisse colligitur; nec publica quae exstarent monumenta eum neglexisse credibile est. At, dixerit quispiam, hi tamen omnes Romani fuerunt, itaque fieri paene debebat ut his quacunque ratione nimis faveret. Quod, quanquam ego quoque patriae amore natura insito hic illic fortasse in narrando eum ductum commotumque fuisse non nego, tamen ne dicam omnino non esse factum, sed hoc certe argumento demonstrari non licet. Namque et diserte e Sileni [1]) opere hausisse traditur, qui quidem, aequalis ac comes Hannibalis, diligentissime eius res scripsisset itaque quasi alterarum partium causas apud se ageret, cuius etiam ubi nomen additum non sit vestigia quaedam in Coelii fragmentis invenimus (cf. Bujack, de Sileno scriptore Hannibalis, Regimont. 1859); et adhuc fragmenta quaedam in rebus dubiis eum non sic temere iudicasse, sed critica arte adhibita quae omnibus rationibus diligenter perpensis vera sibi viderentur proposuisse aperte demonstrant. Namque ne repetam ea quae supra ad fragm. 52. dixi, nec ipsum hoc negligendum est, quod quamvis Romanus esset et cum ea gente vel aliquo modo coniunctus fuisse videatur, tamen P. Scipionis in proelio ad Ticinum servati decus non ad filium, quod reliqui omnes fecissent, sed ad peregrinum quendam hominem eumque humillimo loco natum, utpote quod verius esse persuasum haberet, delegavit (fragm. 48); et iure Nauta pg. 16. cum de fide Coelio habenda exponeret, primus eius fragmentum (30.) attulit quod legitur ap. Prisc. VIII, 9, 18: „ex scriptis eorum qui veri arbitrantur“,

[1]) Etiam reliquos eius quasi generis, cuius princeps Silenus fuit, scriptores, Sosilum maxime et Chaeream, Xenophontem, Eumachum, ante oculos Coelium habuisse certis argumentis demonstrari quidem non potest, sed unum alterumve, imprimis Sosilum, eum novisse, veri certe est simile. cf. etam Peter l. l. — Contra Polybium ipsum quidem fortasse adolescens Romae apud Laelium vidit cognovitque; hunc vero quominus statuamus eum secutum esse, utriusque operis natura aperte obstat.

quippe quod faci leeo suppletur ut aut in prooemio aut in narranda re quadam a superioribus varie tradita Coelium scripsisse existimemus: se haec narrare secutum eos qui vera omnino tradidisse putarentur.[1]) — Minime igitur spernendus et vel magni in suo genere faciendus nobis est scriptor is, qui licet ad fabulas, prodigia, aliasque eius generis narratiunculas operi suo inserendas propensus fuerit, tamen quae omnium fere illis temporibus esset credulitati non obnoxius summum illud artis historicae praeceptum amplexus sit; et, si concedendum quidem semper erit accidisse, ut pro humani ingenii natura erraret, sponte ac consilio falsa eum tradidisse credere non possumus. — Quae quidem sententia veterum testimoniis mirum quantum confirmatur. Nam licet quis non multum valere dicat quod Valerius Maximus certum Romanae historiae auctorem Coelium appellarit, Cicero Latinis historicis omnibus saepius eum laudavit, virumque, id quod maximum est, dicit „optimum" (de or. II, 12); et M. Brutus aeque ac Polybium (Plut. Brut. 4) C. que Fannium (Cic. ad Att. XII, 5), dignum censuit cuius epitomen faceret.[2]) Livius autem quanti Coelium fecerit ex ipsis illis locis ubi diserte eum laudavit — in universum autem de hac re infra disseremus — optime intellegitur. Quamvis enim de more suo et omnino veterum historicorum tum demum eum afferre soleat, cum ab eius sententia recedit, nunquam tamen tanto cum fastidio, quanto e. g. Valerium Antiatem (cf. XXVI, 49. XXXIII, 10. XXXV, 38), eum nominat, sed semper satis honorificam mentionem facit eiusque sententiam argumentis, praeter consuetudinem, refutat. Sic XXI, 38. postquam suam proposuit sententiam — quam-

---

[1]) Quod van den Bergh, de antiquissimis annalium scriptoribus Romanis, pg. 68, (Gryph. 1859.) verbis „qui intellegunt quae fiant dissentiuntur" (fragm. 8.) aucta de suo arbitrio sententia significari putavit, qua mente Coelius historiam tractarit, utpote qui „dissentire" dixisset „ab imperitiore credulorum scriptorum caterva boni esse historici", quicunque qua decet cautione de talibus iudicare solet probari nullo modo posse perspiciet. — Item minus recte Nauta pg. 17. Ciceronis verba (or. 69) „o virum simplicem qui nos nihil celet" ad Coelii fidem spectare opinatus est. —

[2]) Cf. Cic. ad Att. XIII, 8. et fragm. 37: „Subinde Nepos de inl. viris II. sed et Brutus et Coelius frequenter eo usi sunt"; nam sane vel ultro fieri debebat, ut Brutus in epitome isdem quibus Coelius verbis uteretur. — Quod est ap. Frontonem, ep. ad M. Caes. I, 9, pg. 21: „Materiam cruentam misisti mihi: necdum legi Coelianum excerptum quod misisti, nec legam prius quam sensus ipse venatus fuero. Sed me Caesaris oratio unceis unguibus adtinet sqq." ob ipsum sententiarum conexum spectare potius videtur ad M. Coelium Rufum.

vis, ut nunc notum est, falsam — „mirum“ esse dicit quod et fama et Coelius alia via Hannibalem Alpes superasse tradidissent; sic XXII, 31. lenissima quadam locutione usus est „sed et Coelium et ceteros fugit“ etc.; sic XXI, 46. XXVI, 11. quamvis auctores Coelio apud se potiores sequi se dicat, tamen solum patriae amorem quendam, quominus huius sententiam reciperet, eum prohibuisse facile agnoscitur; sic XXIII, 6. cum Coelius aliique rem quandam omisissent idque ipse non sine causa factum existimaret — (et ita quidem ut, aeque ac XXII, 31, nomine apposito Coelius praeter ceteros elatus sit) — pro vera eam ponere non est ausus. Eius sententiam certe attulit l. XXVIII, 46. XXIX, 35. licet illo loco de re satis levi utrum Coelio an Valerio adsentiendum putaret non dixerit; et l. XXIX, 25. et 27. quamvis rerum augendarum studium quodammodo ei opprobrarit, tamen altero loco, cum ipse exercitus numerum non proposuerit, eum secutus est, altero Coelii narrationem, si cum Livio compara`ris, ne dicam non adeo auctam, imo veriorem videri statim agnosces (cf. pg. 23.). — Denique cum ad priscorum admirationem denuo Romanorum animi deflecterent, ab Hadriano imperatore Coelius permagni aestimatus et vel Sallustio antepositus est (cf. Spartian. Hadr. 16), quo quidem si non bonum Hadriani iudicium, tamen hoc certe confirmatur, illis quoque temporibus eum inter veteres rerum gestarum scriptores summum atque elegantissimum esse habitum.

Scriptoris igitur tanti a posteris aestimati vestigia etiam apud eos qui postea huius belli historiam scripserint exstare per se exspectatur; itaque postremo tandem loco etiam exponendum mihi est, quae inter Coelium et hos quos dixi ratio intercedat. De qua, cum post Lachmannum aliquoties nostris temporibus viri docti in tractanda celeberrima illa quaestione „num et quo modo Livius Polybio fonte usus sit“ obiter attigissent vel potius significassent, [1]) nuper C. Peter in programmate saepe adhuc citato copiose exposuit et rem, nisi magnopere fallor, quoad fieri potuit, prorsus transegit. [2])

[1]) K. W. Nitzsch, Qu. Fabius Pictor über die ersten Jahre des hannibalischen Kriegs, Kieler Monatsschr. 1854. p. 67 ff.; Th. Lucas, disputatio de ratione qua Livius usus est opere Polybiano, part. I. Glogau 1854. Michael, inwieweit hat Livius den Polybius als Hauptquelle benutzt? Torgau 1859. Tillmanns, quo libro Livius Polybio historico uti coeperit. Neue Jahrb. f. Phil. u. Paed. tom. 83.

[1]) Qui quidem qua in omnibus fere est diligentia ac prudentia cum proprie in duobus tantum illis Livii libris, XXI. et XXII., operam collocare sibi proposuisset, a quibus tamen maxime, cum Polybiani operis partem tantummodo, qua eaedem res continentur, integram

— Igitur Livius, a quo initium nobis faciendum est, quae de bello Punico secundo tertia operis decade tradidit — exceptis scilicet eis quae per se eiusdem temporis descriptionibus omnibus communia sint oportet — in duo quasi genera dividenda sunt, quorum alterum mere a Polybio desumptum est, alterum ab annalium scriptoribus Romanis et Graecis illis, quos supra diximus, historicis, Sileno maxime, Sosilo, aliis. Ea ut etiamnunc inter se discerni possint, ipsa Livii qua opus suum conscriberet ratione factum est. Is enim non unum alterumve, quod de criticae artis praeceptis omnino bonum verumque sibi videretur, sibi assumpsit, sed modo hoc modo illud — hic illic altero aut tanquam dubio vel certe memoria digno apposito aut aperte refutato — secutus, interdum etiam ambo inter se coniungere conatus est. Mixti autem generis illius, quod dixerim, praeterquam quod res ipsae aliter ac Polybius tradidit gestae narrantur, hoc proprium est, quod eius auctor vel auctores et ad ea, quae Romae fierent atque ad rempublicam Romanam pertinerent, Polybio multo magis respexerint et narratiuncularum fabellarumque — quales quidem a pragmatica scribendae historiae ratione prorsus alienae sunt — narrandarum aliquod studium habuerint. Et eiusmodi quidem narratiunculae maximam partem etiam apud Cassium Dionem (Zonaram) et Appianum, praeterquam quod in aliis quoque rebus cum hoc, quod apud Livium est, genere congruunt, inveniuntur; quos cum Grae-

---

habeamus, in ceteros fieri debet ac iure fit conclusio, simul reliquis et libris et belli Punici secundi scriptoribus comprehensis ea fere, quorum summam iam in sequentibus exhibebo, proposuit; quae cum ipse diligenter perscrutatus sim, metuendum non est, ne temere me assumpsisse quis dicat. Novissime Peteri sententiam impugnavit C. Boettcher in libello cui inscribitur „Quaestiones criticae de Titi Livii libri XXI. et XXII. fontibus, Regimont. 1867", hanc quidem viam ingressus: „Livium et Polybium in eis praxime rebus inter se convenire, quae agant de Hannibale et Kartaginiensium exercitu. Polybii fontem praecipue res ab his gestas continere, eius auctorem testem esse oculatum et in castris Kartaginiensium probabiliterque cum Hannibale consuetudine coniunctum fuisse; et hunc quidem esse Silenum. Iam vero Livium e Polybio nullo modo hausisse, imo eundem fontem Silenum habuisse, sed ita, ut non ab ipso Sileno, sed ab annalium scriptore illum secuto, qui etiam res Romae gestas addidisset accuratiusque ad eas respexisset, ea in quibus cum Polybio congruat accepisse; hunc autem esse Coelium." Qui libellus cum sero in manus meas venerit nec huius loci ratio, ut uberius quae ille proposuerit refutem, permittat, ad ipsos tantum eorum libros relegare possum; quos si inter se comparaveris, Boettcherum a falsis principiis progressum falsa contendere facile agnosces. Ad quam quidem sententiam amplius defendendam, si quis postulaverit, paratus ero.

cos illos scriptores quos supra diximus omnino secutos esse constet, item Livium unam certe eiusmodi a Coelio, quem e Sileno hausisse vidimus, manifestum est accepisse, cum alterum illud, quod de rebus Romanis diligenter narratis dixi, annalium quendam scriptorem eum ante oculos habuisse aperte denotet. Iam Peter, aptissime his omnibus inter se coniunctis, cum praeterea et omnium saepissime Coelium a Livio laudari videamus — (quod quamvis tum fere factum sit, ubi ipse Livius ab eius sententia recedat, tamen diligenter eum Coelii opus legisse magnique aestimasse confirmat) — cumque in rebus et verbis Livius, etiamsi eum non nominarit, cum Coelio aliquoties consentiat: satis aperte demonstravit totum illud genus, quod mixtum vocarim, a Coelio eum deprompsisse, ab hoc omnia fere, nisi quae e Polybio (et pauca illa quae ex annalium scriptoribus Coelio posterioribus) hausisset, accepisse; ex quo quantum etiamnunc ad nos valeat Coelii auctoritas ultro intellegitur.

Cassium Dionem (Zonaram) et Appianum neque a Coelio neque omnino ex Romanis scriptoribus (nisi forte ex eis qui Graecos annales scripsissent) hausisse per se consentaneum est et eorum quae narraverunt ratione confirmatur. Fontes potius habuerunt Graecos scriptores, Silenum ceterosque, itaque genus illud, quod Polybio plane contrarium habendum est, quasi integrum, quantum fieri potuit, merumque praestant; a Coelio hoc postea cum eis, quae ab annalium scriptoribus sibi assumpsisset, quasi contaminatum est; Coelii materia porro cum Polybianis contaminata a Livio (et simile quoddam factum a Cornelio Nepote in vita Hannibalis). Livium praecipue secutus est Plutarchus [1]), mere excerpserunt Florus, Eutropius, Orosius. — De Diodoro, cum librorum eorum, quibus belli Punici secundi historiam descripsit, pauca tantum fragmenta habeamus, certi quidquam affirmare equidem non ausim. Eorum enim plerisque aut contemplationes quaedam, quas ab ipso demum Diodoro originem ducere apparet, aut rerum, de quibus cum reliquis scriptoribus consentiret fere necesse

[1]) Sic enim res se habet, etiam invito M. Buchholzio qui in libello cui inscribitur: „Quibus fontibus Plutarchus in vitis Fabii Maximimi et Marcelli usus sit, Gryph. 1865" contenderit: Plutarchum nec Polybio nec Livio praecipuo fonte usum esse, sed — exceptis paucis quae ex aliis addita essent — Qu. Fabio Pictore; eorum autem, in quibus Livius, qui sane praeterea etiam Polybium aliosque annalium scriptores consuluisset, cum Plutarcho congruat, eundem Fabium esse auctorem; eundem denique etiam Polybium, sed examinantem et corrigentem, esse secutum.

fuit, narrationes continentur et simul quae Polybius de eisdem tradidit perdita sunt; et omnino cum Coelii quoque exigua tantum fragmenta habeamus haud facile hanc quaestionem dissolutum iri nemo non videt. Verumtamen vel ultro Diodorum non tam e Latinis quam e Graecis scriptoribus hausisse consentaneum est, et quamvis ipse (I, 4) Latinam linguam bene se nosse gloriatus sit, ea scientia sine dubio non ita magna fuit; ac vere Romanum scriptorem unum tantummodo eumque qui Graece scripsisset, Fabium Pictorem, ab eo laudatum invenimus (fragm. l. VII). Quanquam aliquo modo cum Sileni ceterorumque illo genere, quod vocarim, quasi cognatus coniunctus habendus est; in reliquiis enim l. XXVI (n. 3. pg. 513 Wess.) Sosili nomen, et l. XXV (5. pg. 512) narratiuncula quaedam legitur manifesto ad totum hoc genus referenda (cf. App. Hisp. 12. Zon. VIII, 21. Peter pg. 10. 73), et omnino quae apud eum adhuc exstant eiusmodi narrationes, ad illam historiae scribendae rationem spectant. Attamen e Polybio quoque, quem nominavit ubi de Scipione Africano minore exposuit (exc. de virt. et vit. pg. 586), eum hausisse minime negaverim.

Denique Silium Italicum, ut verbo tantum poetam inter historicos commemorem, praeterquam quod de suo ingenio totum illum apparatum, ut hoc verbo utar, mythologicum et alia eius generis addidit, in omnibus fere Livium secutum esse undique apparet. —

---

LIPSIAE, TYPIS A. DENNHARDTI MDCCCLXVII.